/X

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICO-CHIRURGICA
DE
FISTULAM LACRYMALEM SANANDI METHODIS

QUAM

ILLUSTRIS FACULTATIS MEDICÆ

CONSENSU

PRO LICENTIA

GRADUM DOCTORIS

LEGITIME OBTINENDI

SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

JOANNES GEORGIUS SCHULTZE

HAMBURGENSIS.

DIE XX. SEPTEMBRIS MDCCLXXX.

H. L. Q. C.

Argentorati, Litteris JOH. HENRICI HEITZII, Universitatis Typogr.

VIRO

ILLUSTRI, CONSULTISSIMO,

DOCTISSIMO

JOAN. ADOLPHO

POPPE

J. U. L.

INCLYT. L. R. I. REIPUBLICÆ HAMBURGENSIS

SENATORI

AMPLISSIMO

PRÆFECTO RITZEBÜTTELENSI

GRAVISSIMO


HASCE MUSARUM PRIMITIAS

PII DEVOTI GRATISSIMIQUE ANIMI TESTES

CONSECRAT

AUCTOR

JOANNES GEORGIUS SCHÜLTZE.



PROOEMIUM.




Ex omnibus ſcientiis in quibus perdiſcendis continentem operam poſuere vel ſumma ingenia, nulla fortaſſe hodiernis temporibus fuit exculta magis quam Chirurgia. Etenim ſi omnes evolvimus libros, cum antiquorum tum recentium, de hac medicinæ parte conſcriptos, facile patebit, ſcientiam noſtram, depoſitis crudeliter operandi methodis, ſua quaſi cunabula deſeruiſſe hujus ſæculi initio, atque in plurimas quotidie vires & opes creſcere: quod minime mirum, cum ipſi ad omnem perfectionis gradum viam ſternat anatomia; qui corporis humani ſtructuram ignorabant veteres, aut ſaltem parum noverant, qua ratione potuiſſent certam in operationibus ſuis dexteritatem & fiduciam exſerere? Hinc ipſis erat in omni cura refugium ultimum, ignis. Clariſſimum hujus aſſerti exemplum habes in fiſtulæ lacrymalis curatione.

Minime ſane inſtitui recte poterat priſcorum temporibus hæcce operatio, quæ adeo pendet ab accurata partium cognitione, & in qua conficienda manum anatomia ipſa re-

gere debet. Cum autem animos invadere cœpit ſedula partium corporis noſtri diſquiſitio, recentiores, ut mutaverunt totam chirurgiæ faciem, noviſque methodis eam locupletaverunt, ſic in morbi prædicti ſanatione non mediocrem ſibi laudem comparare tentaverunt.

Neque tamen videntur in hac conſummatæ artis cumulum attigiſſe, quamquam nota ſit oculi ut cæterarum partium ſtructura, atque illuſtr. MORGAGNIUS præprimis tantam in deſcribendis viis lacrymalibus lucem affuderit, tanta eſt chirurgorum in hac occaſione diſſenſio! & fere unusquiſque in galliis præſertim, novam ſibi methodum effinxit animo, hanc nitidiſſimis locupletavit inſtrumentis, quæ figura expreſſit, neque vel elegantiſſimam deſcriptionem prætermiſit, ut opinioni ſuæ palmam tutius adſtrueret: cum autem mentis quaſi luminibus officiat animo antecepta opinionis informatio, & fœtus ingenii proprius amor; cum præterea fere impoſſibile ſit, eidem morbo, qui eumdem locum occupat, tot variis modis mederi; hinc operationes omnes hucuſque excogitatas prius inveſtigare, quid admittendum ſit ex illis, quidve rejiciendum indicare; quo in caſu hæc vel illa methodus anteponenda ſit expromere; & ſi fieri poſſit, ex omnibus unam quaſi methodum coagmentare decrevi. Quale igitur, huic meo labori pretium erit ſtatuendum, dum operi manum admoves B. L. ipſemet judicare poteris.



Viarum lacrymalium deſcriptio.

Quemadmodum oculus, nobile illud tenerumque corporis noſtri organum, a plurimis læſionibus, ſitu ſuo ſingulari defenditur, ita ne a peregrinis corporibus, perpetuave actione, aut aeris injuriis læderetur, liquorem a crea-

tore ſapientiſſimo ſibi deſtinatum accepit, aqueum, limpidum, evaporabilem, ſalſum *a*), qui ſuper totam bulbi partem anteriorem effunditur. Hic liquor non advehitur ex tertia cerebri cavitate ad oculum, ut veteres crediderunt *b*), neque ſtatim per infernam orbitæ rimulam rurſus ad fauces delabitur ſpiſſior pars, dum fluidior, ideoque ad quemvis impulſum ſequacior fertur in glandem oculi interni, a cujus carne reſorbetur, ut in quendam ejus ſinum peculiariter ad id inſculptum deponatur. Docuit nos ſedula partium oculi externi indagatio, hunc liquorem ex variis fontibus in ipſo oculo ſitis exſtillare. Illum nempe maximam partem exhalare videntur arteriæ in conjunctiva tunica & interna palpebrarum membrana diſtributæ *c*). Suum adhuc laticem contribuit glandula in externi orbitæ anguli depreſſione ſingulari ſuperius locata, quæ dicta veteribus innominata, recentioribus ab uſu multo rectius lacrymalis nominatur. Exeunt ex illa ſex, interdum quoque octo *d*), ductuli excretorii in interna palpebræ ſuperioris ſuperficie laxantes ſeſe atque contentum liquorem eo evomentes. Adeſt præterea in cantho oculi interno parva quædam ac rubicunda prominentia, quæ ſub nomine carunculæ lacrymalis venit *e*), conflata eſt illa ex plurimis glandulis ſebaceis, quæ ſebum ſecernunt. Porro in palpebrarum marginibus glandulas ejuſdem generis

a) Vid. HALL. *prim. lin. phyſiolog.* §. DIV.
b) Vid. SALOM. ALBERTI *Diſſertat. de lacrymis Vitembergæ habitam* §. 12.
c) Vid. JOAN. GOTTF. ZINN. *Deſcriptionem anatomicam oculi humani*, Gœtting. 1755. Cap. XIII. § 1. Hanc opinionem in dubium vocare conatus eſt Cel. JANIN. in ſuo libro: *Mémoires & obſervations anatomiques, phyſiologiques & phyſiques ſur l'œil*, pag. 57.
d) Vid. JOH. JAC. PLENCK. *prim. lin. anatom.* Vienn. 1777.
e) Vid. ZINN. Tab. VII. fig. 10.

detexit cl. MEIBOMIUS *f*), quibus nomen suum indidit, quæque pariter smegma versus orbitam deponunt.

Hice fontes adeo diversi in statu naturali proprium liquorem semper excernunt, irrorando, lubricando & abluendo oculo destinatum, ne inflammetur perpetua palpebrarum actione, aut corporum heterogeneorum stimulo lædatur. Si autem mœrore, tristitia, gaudio repentino, commiseratione, uno verbo quodam animi pathemate, aut stimulo quovis justo magis irritentur hæ partes, tunc comparatam sibi viam insistere nequit nimius liquor, & supra genas lacrymarum nomine effluit.

Singularis est mechanismus, quo in statu sano resorbetur illud fluidum, atque per vias lacrymales dictas *g*), ab oculo ad nares devehitur. Harum viarum cognitionem sibi solis tribuere quamvis tentaverint hodierni, hanc tamen priscis non ignoratam quivis ex plurimorum auctorum scriptis, sed præprimis MORGAGNII *h*), FALLOPII *i*), ALBER-

f) Ibid. fig. 8.

g) Has partes aere cælari curavit omnium optime cl. ZINN. in *libro cit.* Tab. VII. fig. 10. Eas præterea videre est in *Mémoires de l'Académie royale des Sciences*, ast non ita nitide expressas, in tom. ann. 1734. Pl. II. fig. 2. 3. pariter in *opere posthumo* cl. PETIT. Pl. 18. etiam in ill. MORGAGNI *adversf. anatom.* I. Tab. IV. fig. 1. nec non in cl SHARPII *Treatise on the operations of Surgery* Pl. II. in *Medical essays and observat.* Vol. III. Tab. III. fig. 1. tandem in cl PALUCCI *Methodo curandi fistulam lacrymalem* Tab I. fig. 2. 3. 4. alios mitto.

h) Ill. MORGAGNIUS in *Adversf. anatom.* 6. animadverf. 65. ex ARISTOTELE locum allegat, quo patet has partes ipsi notas fuisse; sed multo luculentiora sunt GALENI verba. *De usu partium* Lib. X. Cap. XI. T. 1. & VEGETII in *Mulo-Medicina* Lib. II. Cap. XXI.

i) Vid. GABRIELIS FALLOPII, *Opera omnia*, ubi in suis observationibus pag. 478. loquitur his verbis: "In oculo, ait, anato„mici prætermisere duo foramina parva, in angulo interno po„sita, quorum unum est in palpebra superiori, alterum in infe-

TI *k*), atque RASORII *l*), demonstrare nullo labore poterit. Cadit nimirum sub aspectum ante carunculam lacrymalem, in margine utriusque palpebræ, eminentia quædam rotunda, cujus apicem, aliquantulum tamen interius, occupat foramen suapte natura apertum, atque cartilagine instructum, quod punctum lacrymale dicitur *m*). Puncta hæc lacrymalia sunt quasi ostiola illorum subjacentium canaliculorum, qui vulgari nomine canales lacrymales appellantur. ANELIO autem, qui optimam horum descriptionem dedit *n*), ob aliquam similitudinem, cornua limacum; aliis meatus lacrymales, aliis canaliculi laterales nominantur. Quidquid sit, hi canales singulari decursu internam palpebrarum superficiem permeant; ascendit nempe recta via ab orificio ad lineæ longitudinem canalis superior, & tunc angulo facto descendere incipit; dum inferior recta descendit prius, & ad angulum in transversum flectitur *o*). Accedunt ad se invicem

„ riori; quæ foramina habent meatus, qui sub caruncula ἐγκανθίδος vel ἐπικανθίδος dicta uniuntur in quemdam communem sinum, „ in narium cavitatem desinentem, per canalem proprium in osse „ squammoso, quod internum angulum occupat, insculptum. Per „ hos meatus major lacrymarum pars, ut ego in fletibus mulierum „ observavi, ad oculos emanat, ipsorumque sinus aliquando exulceratur; fitque collecta sanie species illa ulceris, quæ fistula lacrymalis dicta est."

k) In *Differt. cit.* §. XVIII. & seq.

l) Vid. JO. CONR. RASORII *Differt. de ophthalmia, una cum fistula lacrymali.* Lugd. Batav. 1675. §. XVIII. "In palpebris, „ ait, juxta majores angulos puncta quædam, seu potius meatus „ a tarsis in nares pervii apparent, in quos moderata oculorum „ humiditas a mandatur."

m) Hæc interdum defuisse cl. ANEL observavit, eosque paralyticos sibi visos fuisse asserit cl. SCHOBINGER in *Differt. de fist. lacrymali* §. VI.

n) *Nouvelle description du conduit lacrymal.* pag. 28.

o) Vid. ZINN *Op. citat.* §. II. Tab. VII. fig. 10.

illi ductuli ante suam sacco lacrymali insertionem, & in communem ductum confluunt. Ille ductus communis transverse sub ligamento musculi orbicularis in saccum lacrymalem ingreditur. Hoc nomine donatur illud receptaculum oblongum, ovali fere figura, in proprio sulco osseo *p*) situm, quod ANELIUS infundibulum nominavit. De hujus sacci structura diffident inter se autores. Contendit enim BIANCHIUS *q*), hunc in medio suo decursu angustari, ampliari dein juxta suum in nares ingressum, tum in fine semilunari valvula occludi: immo ligamenta ab osse in saccum penetrantia reperisse sese gloriatur. Quae asserta refutat jure merito ill. MORGAGNIUS, harum partium, quemadmodum totius anatomes scrutator eximius *r*). Quin huic comitem adjungere liceat cl. ZINNIUM *s*), cujus haec sunt verba: "Is saccus, ait, conficitur ex membrana exteriori, tenui, „ nervea alba, & alia distincta interiori, rubra vasculosa, „ pulposa, vera nempe continuatione membranae pituitariae, „ ut ipsum saccum interdum muco nasali repletum viderit;" praetereaque nihil addit. Sunt quoque nonnulli, qui in extremitate hujus sacci vel in initio canalis illi subjacentis fibras musculares & sphincterem observasse sese contendunt; namque hic saccus, quando intrat in fossam osseam angustatur paulatim, & tunc canalis nasalis nomine venit; leviter antrorsum & extrorsum meat; & tunc rursus deorsum & retrorsum progreditur, & sub osse turbinato inferiori oblique

p) De hoc canali osseo observavit Cel. PALUCCI, quod aliquando circa sui medium constringatur. interdum vero versus externum latus expandatur, quod praecipue in illis vidit, qui simum nasum habent: vid. *Method. curandi fist. lacrym. pag.* 15.

q) *In Dissertat. Epistol. de ductuum lacrymalium novorum anatome, usibus, morbis ac curationibus ad Joseph. Lanzoni a* JOANN. BAPT. BIANCHI.

r) In adversariis anatom. VI. Animadvers. XL.

s) In libr. cit. §. III.

ſeſe aperit, quæ apertura protractione membranæ Schneiderianæ plicam quaſi efformantis præcluditur. Primus fuiſſe videtur WOOLHOUSIUS qui ſphincteris injecit ideam; neque ita multo poſt YVESIUS de illo mentionem fecit. Hæc opinio repudiata multis, nunc demum novos patronos cel. JANINUM *t*), & cl. RICHTERUM *u*) nacta eſt; cujus ultimi verba nunc recenſere liceat " interim, ait, „credere me judice fas eſt, ductum naſalem fibris motricibus inſtructum, motuque periſtaltico præditum, immo „fuerunt, qui ſphinctere ſuperius illius extremum inſtructum eſſe putant. Neque ego penitus negem, certo enim „inſigni ſuperiorem ductus naſalis partem vi, ſe contrahendi „& occludendi præditum eſſe, ſequens experimentum docet. „Scilicet aliquot dies poſt operationem ſi chordam vel ſpecillum, quod in ductum naſalem immiſiſti, extrahis, & paulo „poſt iterum reponis, facile illud reponi, facile ductum naſalem intrare, & ad nares deſcendere, ſenties. Si vero extracto ſpecillo liquorem quendam adſtringentem per vulnuſculum in ſaccum lacrymalem injicis, eoque injecto ſpecillum reponere vis, reponi nullo modo poſſe, clauſumque „penitus eſſe ductum naſalem invenies. Elapſis aliquot momentis patere iterum ductum, & facile ſpecillum admittere „obſervabis."

Liceat ex hac obſervatione cel. RICHTERI cuivis ſuam pro viarum lacrymalium fabrica concluſionem elicere; quod ad me attinet, illuc, unde digreſſus ſum, revertor. Nimirum eas in ſtatu ſano conſtat illud ſorbere liquidum quod ex denominatis antea fontibus plorans, mediantibus & commotione palpebrarum, & membranula ſemilunari retro ca-

t) Vid. JEAN JANINI *Mémoires & obſervations anat. phyſiol. & phyſ. ſur l'œil Lyon & Paris* 1772 *p.* 105.
u) In obſervationibus *de fiſtula lacrymali*, in comment. Societat. Regiæ ſcientiarum Gœttingenſis inſertis, anno 1778. Vol. I. p. 108.

runculam lacrymalem ſita, & directione marginis palpebræ inferioris obliqua & oculorum tandem motu perpetuo in quemdam velut lacum defertur, ipſumque in cavitatem narium deponere.

Non hic quæſtionem, arduam ſatis, agitabo, qua ratione fiat hæc reſorptio, qua etiam lege ad nares lacrymæ devehantur. Ea de re tres hypotheſes ingenioſe excogitatas, quem phyſiologum latet? Harum prima cel. PETITO *x*) adſcribitur, qui quidem ſtatuit, ut ſiphonem cruribus longo brevique inſtructum in ſorbenda aqua, ita in lacrymis hauriendis vias lacrymales ſeſe gerere. Quod ſyſtema cl. MOLINELLIUS *y*) ſimpliciſſimis phyſicæ experimentis innixus ſtrenue refutavit, ut etiam opinionem proponeret; ſcilicet eaſdem vias in officio ſuo plane paſſive ſe habere, nulla pollere exſorbendi vi, verum tanquam tubos capillares agere, quorum repletioni favet tum motus palpebrarum, tum punctorum lacrymalium ſtructura & ſitus; eamque ſententiam reſorptionis omnibus phænomenis ad amuſſim explicandis ſufficere contendit. Aſt huic plane omnino adverſatur cel. JANINUS, opinionis prorſus contrariæ auctor *z*). Hunc vidimus punctis lacrymalibus ſphincterem tribuiſſe *); vim etiam muſcularem, qua ſe contrahere poſſint, condonaſſe: quin obſervaſſe ſeſe teſtatur, ſaccum lacrymalem fibris longitudinalibus rectiſque præditum; ex quo motum vermi-

x) *In Mémoires de l'Academie des Sciences année* 1734.

y) *In Inſtitutionibus academ. Bononienſ. Scient. & Art. Tom. II. P.* 1. *pag.* 165.

z) In *Libr. cit. Mémoir. & obſerv. p.* 99. & 127. *ſeq.*

*) Non eſt hæc genuina Cel. Auct. inventio; hunc enim jamjam obſervatum videre eſt apud IVESIUM, *nouveau traité des malad. des yeux. Par.* 1722. WOOLHOUSIUM, WINSLOVIUM *Expoſition anatom.* Tom. IV. pag. 281. MOLINELLIUM, DIEDERICUM, & Cel. RICHTERUM *chirurgiſch. Biblioth.* 2. *Band,* 1. *St.* pag. 94.

vermicularem ductuum derivat: fit enim, juxta ipſum, ut elongatis clauſo oculo punctis, aliquid lacrymarum reſorbeatur, quod aperto illo & ſphinctere conſtricto in ſaccum lacrymalem propellitur; aſſervatur inibi limpidus humor ſenſim collectus, alio ſphinctere in ſuperiori parte ductus naſalis inſidente repreſſus, uſque dum ſufficienter repleatur ſaccus, qui tum mechaniſmo in veſica urinaria ſimili, cum quantitate tum ſtimulo victus, eum in nares emittit.

Tantas quidem ingenioſorum virorum lites componere meum non eſt. Si quid tamen per tranſennam addere liceat, canaliculos lacrymales vitæ vi inſtructos eſſe arbitror, quali inteſtinorum villos natura inſtruxit, reſorbentia cavorum vaſcula, & venarum poros, qui ſunt in ſuperficie corporis ubivis reperiundi. Oſtia hæc omni tempore laborioſa ſunt, ut tot ſphincterulis ex muſcularibus fibris conflatis non opus, quos anatome non offert. Nec vermicularis motus in lacrymarum ad nares promotione poteſt concedi in canaliculo membranaceo duris affixo oſſibus. Stringuntur itaque cuncta canaliculorum oſtiola ab omni applicatione ſtimuli, quo ceſſante, avide rurſus fluidum abſorbent. In gradu longe majori lacrymalibus viis vim illam inhærere ex membranulæ internæ ortu colligis, quæ a Schneideri membrana nervulis plena per ductus naſalis orificium ſe elevans internum ductus naſalis tubum perficit. Hinc irritata illa, vaſculis egregie turgida, tumet, ut oſtiolo ductus naſalis reddito minori, in nares fluxum lacrymarum impediat.

Atque hæc illa ſunt, quæ tum ex anatomia, tum ex phyſiologia repetere neceſſarium duxi, ut clarius nunc exponere poſſim

Viarum lacrymalium vitia.

Immenſum ſtupendumque opus inirem, ſi falſas omnes cum veterum tum recentiorum ideas de viarum lacrymalium

morbis hic tradere vellem. In hos errores ſtrenue ſatis inſurrexerunt auctores plurimi, inter quos præcipue Cel. HEISTERUM appello: ergo quæ ad ſcopum mihi præfixum pertinent, paucis duntaxat recenſebo.

Anchilopem appellabant veteres, quemcunque tumorem, qui angulum oculi internum occupabat. Arabes eumdem *Algarab* vel *Algara*, aliique *Corvi* vocabant, illumque in calidum frigidumque dividebant: hic, ut ſignum pathognomonicum, præ ſe ferebat tumorem quemdam cyſticum, aliquando inflammatum *a*), inter oculi canthum majorem & radicem naſi, plerumque cum epiphora conjunctum *b*). Quam dedit hujus morbi definitionem ill. FALLOPIUS *c*), hæc cum fiſtulæ lacrymalis veterum perfectæ definitione multum congruit. Anchilops calidus illis appellabatur ſacci lacrymalis inflammatio perfacile in ægilopem abiens. Sub hoc *ægilopis* nomine comprehendebant interdum abſceſſum vel ulcus qui eumdem canthum obſidebat. Hunc morbum ita definit optime cl. GENDRON *d*), *c'eſt-à-dire l'anchilops ouvert, auquel a ſuccédé une ulcération à la peau ſeulement, ſans aucune communication avec les voies lacrymales. Cette maladie eſt nommée par pluſieurs fiſtule lacrymale, mais improprement, puiſqu'elle n'intéreſſe aucune partie par où paſſent les larmes. Elle ne peut être appellée que fiſtule au grand angle.* Hæc ſunt etiam cl. GUERINI de cantho oculi interni agentis verba: *Quoique ces ulceres*, ait, *ſoient ſinueux & fiſtuleux, ils n'établiſſent point une fiſtule lacrymale, mais ſeulement une fiſtule du grand angle e*). Interdum tamen anchilops & ægilops pro ſynonimo habebantur, ut legere eſt

a) Vid. L. FL. DESHAIS GENDRON, *Traité des maladies des yeux* Tom. I. Chap. XXV. pag. 306. Par. 1770.
b) Vid. HEISTERI Diſſert. *de nova methodo curandi fiſtul. lacrym.* Altorf. 1716. §. 3.
c) In *obſerv. anatom.* p. 478.
d) *In loco citato.*
e) *Traité ſur les maladies des yeux* Lyon 1769. §. 11. p. 91.

apud GALENUM : interdum etiam veram fiſtulam lacrymalem, & præcipue recentiores *f*), hoc nomine deſignabant. Aſt quamvis evenire ſoleat, ut in fiſtulam lacrymalem degeneret ægilops, ſi nempe ab acri materia læduntur corroduntur que partes ſubjacentes; attamen veræ lacrymalis fiſtulæ caracterem non exhibet. De genuinâ hujus confuſionis origine tradere plurima poſſem: inde autem præcipua mali labes, cum veteres illud nunquam diſtinxerint, an viæ lacrymales in contactu eſſent, nec ne.

Poſtquam autem ill. MORGAGNIUS & cel. ANELIUS accuratiorem in his partibus inveſtigandis operam collocaverunt; depulſus eſt ab ea chirurgiæ parte error plurimus; idem ANELIUS tumorem frigidum ex dilatatione ſacci lacrymalis oriundum, ſolummodo lacrymis repletum, *Hydropem ſacci lacrymalis* appellabat, vel quod idiomate mutato idem eſt, *Hydropiſie du ſac lacrymal g*): hunc HEISTERUS *herniam lacrymalem* nominabat *h*). Hanc herniam dividit rurſus cel. ACRELIUS *i*), in herniam lacrymalem inflammatam, & in herniam lacrymalem fiſtuloſam; prima ſpecies anchilopis, altera ægilopis nomine ipſi veniebat. Huc quoque ſummo jure referri poteſt, tum morbus cel. PETITO, *Retention des larmes* dictus *k*), tum illa dilatationis ſacci ſpecies HENKELIO obſervata *l*): hunc nimirum reperit aëre

f) Antiquis adjungere poſſumus SEVERINUM in Libr II. *Pyrotechn. chir.* Part. I. Cap. III. pag. 20. & PETR. DIONISIUM, in *Cours d'Opérations de Chirurgie.* Demonſtr. VI. pag. 468.

g) In peculiari Diſſertatione, *Sur la nouvelle découverte de l'hydropiſie du conduit lacrymal*, par DOM. ANEL. Par. 1716.

h) In Diſſert. cit. Cap. III. §. XVII. pag. 17. & in *inſtit. chirurgicis.*

i) Vid. OLOF. ACRELS. *chirurgiſche Vorfälle aus dem ſchwediſchen überſetzt von J. A. Murray* 1 Band Götting. 1777. pag. 147.

k) *Mémoir. de l'Academie royale des Scienc.* année 1734. pag. 41.

l) Vid. *Neue mediciniſche und chirurgiſche Anmerkungen 7te Sammlung* pag. 34. æque ac *Abhandlung der chirurgiſchen Operationen 2tes Stück* §. VI. p. 4.

diftentum, ideoque hanc morbofam affectionem *Herniæ ventofæ*, *emphyfematis*, *tympanitidis facci lacrymalis* nomine infignivit: eodem pertinet morbus quem *fiftule plate* appellavit LE DRANIUS aliique inter Gallos haud pauci *m*).

Nullibi autem magis inter fe difcreparunt auctores, quam dum fiftulæ lacrymalis definitionem divifionemque dederunt. Si ad GALENI CELSIque *n*) tempora revehamur; fub fiftulæ nomine ulcus altum, anguftum, callofum intelligebant. Verum hanc definitionem cum morbo noftro nequaquam congruere in pofterum elucefcet. Veteres tamen partim ob pravam partium cognitionem, partim ob mancam rerum indagationem, hanc fiftulam definivere, quod fit ulcus parvum, callofum & profundum, inter majorem oculi angulum & nafum, ex materia acri productum. Hanc opinionem fecuti funt auctores permulti, inter quos RASORIUS *o*), STAHLIUS *p*), PLATNERUS *q*), VILLARSIUS *r*), atque LE DRANIUS *s*). HEISTERUS autem, dexterrimus tempore fuo chirurgus, poft fedulam viarum lacrymalium defcriptionem, ab ANELIO traditam, clariorem morbi noftri ideam effinxit animo. Contendit itaque *t*), quod fit exulceratio viarum lacrymalium, præfertim vero facci lacrymalis, quandoque fine obftructione ductus nafalis, fed ple-

m) *Traité des opérations de Chirurgie* an. 1742. pag. 479.
n) De *medicina* Lib. V. Cap. 28.
o) In differt. cit. §. XVII.
p) In propemptico inaugurali de fiftula lacrymali Differt. de *affectibus oculorum* adnex. Hal. 1702.
q) Vid. in JOANN. ZACH. PLATNERI, Opufc. tom. I. Lipf. 1749. Differt. I. De *fift. lacrym.* §. 9. fic ait," nobis vero eft fiftula „ lacrymalis ulcus manans, finuofum & callofum, quod canales la- „ crymales & fic dictum faccum, una cum partibus, quæ his pro- „ xime adjacent, occupat „.
r) *Traité de chirurgie* Tom. IV. pag. 301.
s) *In libr. citato* pag. 468.
t) *In Differt. cit.* §. VI.

rumque cum eadem, & puris per puncta lacrymalia regurgitatione. In eadem fere ſententia ſunt Cel. SCHOBINGERUS *u*), GENDRONIUS *x*), atque GARENGEOTUS *y*): at Cel. SHARPIUS eam conditionem morboſam nominat fiſtulam lacrymalem, in qua ductus in canalem naſalem lacrymas vehentes obſtructi ſunt, ita ut hic humor curſum conſuetum tenere nequeat *z*). Iiſdem fere verbis mentem ſuam aperiunt ill. MONROUS *a*), VOGELIUS *b*) & PALUCCIUS *c*). parum ab his diſcrepat cl. LICHTIUS *d*), qui eam ita definit: "Sub ea, inquit, intelligo omnem ſacci lacrymalis, nec non „partis ſuperioris ductus naſalis exulcerationem, pure in„terdum ſanieque ſtipatam, una cum obſtructione aut ob„ſtipatione vel abſque illis lacrymarum progreſſui oblu„ctantem." Cum autem hæcce deſcriptio, juxta noſtram opinionem, valde ambigua eſſe videatur; hoc ſtatuimus; quod hæcce fiſtula ſit exulceratio ſacci lacrymalis, pus fundens, cum inflatione ſeu intumeſcentia parietum ejus conjuncta *e*). Omnia enim ſymptomata alia, quæ hanc exul-

u) Vid. JOANN. CASP. SCHOBINGERI Diſſertationem de *fiſtula lacrymali* Baſileæ 1730. §. 1. " fiſtula lacrymalis, ait, eſt purulen„ta ſolutio continui in ſacco ejuſdem nominis, pus fundens &c.„

x) In libr. cit. Chap. XXV. pag. 307.

y) RENE JACQUES CROISSANT DE GARENGEOT, *Traité des Operat. de Chirurg.* 1748. edit. 3. Tom. III. pag. 60.

z) SAMUEL SHARP *Treatiſe on the operations of Surgery.* Lond. 1747. Chap. XXX. pag. 171. *the fiſtula lacrymalis is generally underſtood to be ſuch a Diſorder of the Canals leading from the Eye to the Noſe, as obſtructs the naturel Progreſſ of the Tears, and makes them trickle down the Check.*

a) *Medical eſſays and obſervat. publiſhed by a Society in Edinburgh.* 1752 Vol. III Art. XV. pag. 263.

b) Vid. JAC. CHRIST. VOGELII. Diſſert. de de *fiſt. lacrym* Gryphiswald. 1757.

c) *Libro citato* pag. 36.

d) Vid. JOANN. FRID. LICHT Diſſert. de *præcipuis viarum lacrym. morbis* Argent. 1776. ſect. 2. §. 7. pag. 13.

e) Cum definitione noſtra fere congruunt, quæ Cel. GUERIN in

ceratíonem comitantur, non debemus tanquam caufas morbum producentes intueri; in quo tam veteres aberrarunt, quam recentiores, maximo fane artis detrimento; cum hæc obfervatio omnium curationum noftrarum norma effe debeat: fublata enim caufa, ut cum GALENO loquar, ceffat & effectus.

Semper animo effinxerant veteres, obftructionem facci lacrymalis ejus fiftulæ caufam proximam effe; ideoque in hac tollenda omnem operam chirurgicam pofuerant; cum tamen hæc fiftula aliud nihil fit, quam acrimoniæ effectus, ac proinde ab inflammatione facci producatur: quæ caufa, fi non ftatim auferatur remediis ad id accommodatis, facci latera calli fimilitudinem induunt, ficut in aperta fiftula ejus labia interdum callofa fiunt. Hæc fiquidem acrimonia facci parietes irritat, quo fit ut inflammatio, intumefcentia & imaginabilis exinde concrefcentia oriantur. Ex hoc igitur caufarum errore factum fuit, ut varii generis excogitatæ fuerint methodi, quibus cum omni dexteritate adhibitis, morbus tamen minime debellatus fuerit; namque recrudefcebat fæpiffime inflammatio, & oculus lacrymabatur.

Cæterum quamquam falfa fuerit veterum opinio de natura & origine fiftulæ lacrymalis, ut ex Cel. RICHTERI *f*), fcriptis eximie patet; rectior tamen cum caufæ ejus, tum medelæ idea nequaquam in recentiorum mente infedit, cum priorem in fola obftructione pofuerunt. Illud quidem non negavero obftructionem hanc tanquam ejus caufam interdum confiderari poffe; aft rem ita fe habere poft morbum prægreffum, idque rariffime, experientia comprobat: ita ozæ-

Traité fur les maladies des yeux proponit, prem. part. Artic. III. §. V. pag. 135. hæc funt ejus verba: *Lorfque l'intérieur du fac lacrymal eft ulcéré, nous nommons cette maladie fiftule lacrymale: nous pouvons donc définir cette fiftule une ulceration du fac lacrymal, accompagnée de pus, & quelquefois de fanie.*

f) *In cit. Comment.* Gœttingens. pag. 100.

na, polypus narium *g*), offium fractura, vulnera inibi locorum, caries *h*), offis unguis exoftofis aut proceffus coronalis *i*), tumor venereus, rachiticus, aliique ejufdem generis dedere huic originem. Mucus vero nequaquam poteft hanc obftipationem produxiffe, unde orta fuerit fiftula lacrymalis. Invenitur quidem in omni fere fiftula humor craffus in facco lacrymali contentus, fed tunc temporis incipiebat jamjam fiftula nafci, eaque humoris iftius infpiffati non effectus, fed caufa fuit; cum propter facci lacrymalis intumefcentiam & inflammationem reforpta lacrymarum fluidiori parte pars reliqua cum muco e glandulis fecreto debuit neceffario cum retineri, tum condenfari. Adde quod fine ulla remediorum applicatione fiftula interdum evanefcat, priftinumque ftatum viæ lacrymales acquirant, qui elapfis quibufdam menfibus in morbofum rurfus immutatur; idque verno præprimis & autumnali tempore: quod poft operationem facco nequaquam obliterato, imo vix conftricto, fiftula recrudefcat; quod adhibitis longo licet temporis intervallo fetaceis vel fpecillis recurrat; quod, dum viget, fi partium ftructura fit recte nota, nulla vi in fpecillorum applicatione indigeat; quod leni compreffione & obftructio fuperari, & omne in facco contentum exprimi queat; quæ omnia adverfus perpetuam obftipationis præfentiam militant. Qua enim ratione, obftructo nafali ductu, hæc fierent? Cur mox redire poffet, mox evanefcere? præfertim cum tunc temporis, annotante Cel. RICHTERO, abiens vel revertens, fecundæ vel adverfæ valetudinis fignum adfit non folum, verum etiam futuri morbi mitioris vehementiorifve indicium effe queat? hæc phænomena humorum circulatione abreptorum acrimoniam, non facci lacrymalis obftipationem clamant.

Cauffas lacrymalis fiftulæ omnes, fi hic eruere vellem,

g) Vid. cel. JANINI *Obfervat. II.* pag. 299.
h) In RICHTERI *obfervat. cit.* pag. 101.
i) JANINI *Obfervat.* XI. pag. 322.

tædiofum fane laborem fufciperem, valdeque inutilem, cum in iis determinandis auctores plurimi jamjam defudaverint. HEISTERUM puta *k*), VOGELIUM, PLATNERUM, GARENGEOTUM, GENDRONIUM, PETITUM, ACRELIUM *l*), aliofque. Neque pariter opus erit de divifione morbi noftri aliquid proferre; cum ea in allegatis auctoribus fatis fuperque fuerint pertractata. Quæ tamen cel. RICHTERUS *m*), nuperrime addidit, hæc recenfebo. Statuit nimirum tres adeffe fiftulæ lacrymalis fpecies, quarum quælibet ab altera, & ratione cauffæ ex qua oritur, & ratione medelæ quam maxime differt. Prior, rariorque, ex obftructione ductus nafalis; altera frequentiffima ex metaftafi materiæ morbofæ ad vias lacrymales, tertia denique ex atonia facci lacrymalis oritur. Quid de hac divifione dijudicandum fit, meum non eft decernere; rem lubenter experientiffimis dirimendam relinquo: ut autem fcopum meum attingam citius, ad ipfam curationis cujufcunque explicationem me accingo.

Omnes fi perpendimus caufas, quibus fiftula lacrymalis produci folet; fi incrementum ejus atque decrementum; fi exacerbationes, remiffiones, ftadia *n*), materiem quæ exprimitur

k) *In Differt. fup. citat.* Cap. III. §. 16. & feq. & in *Inftit. Chir.* Part. II. Cap. LIV. §. 3.

l) ACRELS *chirurgifche Vorfälle* 1 Band pag. 144.

m) Vid. *Comment. Societ. Gœtting.* Tom. I. pag. 103.

n) Confer. PERCIVAL POTT. *Obfervations on that Diforder of the Corner of the Eye, commonly called Fiftula lachrymalis* Lond. 1763. pag. 29. Affumit cel. auctor quatuor ftadia: *The firft*, ait, *confifts, in a fimple dilatation of the facculus, and obftruction of the nafal duct, and perfectly free from inflammation. In the fecond, the tumor is fomewhat larger, the fkin which covers it, is in an inflammed ftate, but intire. In the third, the fkin covering the facculus is become sloughy, and burft. In the fourth, the paffage from the facculus lachrymalis into the nofe is totally obliterated, the infide of the former being either ulcerated or filled up with a fungus, and attended fometimes with a caries of the bone underneath.*

primitur e ſacco, aliaque attento luſtramus oculo, facile intelligimus in omni fiſtularum ſpecie operationem chirurgicam non ſemper neceſſariam; immo multas ſpecies medicamentis tam externis quam internis ſolummodo debellari poſſe abſque inſtrumentis, contendimus.

Quem enim fructum ex operatione percipiemus, ſi fiſtula ſuam e quadam acrimonia originem traxerit? ſi cancroſa ſit ex. c., quemadmodum ill. LOBSTEINIO videre contigit? Si in primo aut ſecundo adhucdum ſtadio verſetur, ut cum ill. POTTIO loquar? Si oriatur ex metaſtaſi materiæ cujuſdam morbificæ, qua glandulæ ſacci lacrymalis afficiuntur? ſi ſit ex illa ſpecie, quam ſcrophuloſam fiſtulam appellat cl. RICHTERUS *o*), quæque valde frequens & inter varia mala in cacochimiam ſcrophuloſam refundenda notatu imprimis digna, a paucis tamen obſervatur *p*)? ſi arthritica ſit, quæ ſpecies haud rara, verno præprimis tempore revertitur? ſi catameniis originem debeat, ut menſis ſpatio plerumque recurrat? ſi produxerint eam variolæ? quo in caſu, non ita raro, erraret quiſquis fiſtulam puſtulæ acceptam referret, quæ orificium ductus naſalis aut quamdam aliam ductuum partem aggreſſa, hanc cicatrice obliteraſſet; cum poſt variolas, ſicuti furunculi, ulcera varii generis, tuſſes ophthalmiæque pertinaces ſuperſunt, ob acrimoniam humorum reſiduam, ſic fiſtula ex eodem fonte merito derivetur. Quæ tum operationis utilitas, cum ex illo peſtifero corporis noſtri veneno, miaſmate nimirum venereo, profluit morbus noſter, ut ſaccus lacrymalis lacrymaliaque puncta leni preſſione materiem flavam aut viridem evomant, illi ſimillimam,

o) *In Obſerv. citat.* pag. 107.

p) Id egregie annotavit cel. GUERIN in libro ſuo, *Traité ſur les maladies des yeux* pag. 116. *N'arrive-t-il pas*, ait, *de rencontrer par exemple des fiſtules, qui portent tous les ſymptomes du ſcrofule? Il faut ſe donner de garde d'en entreprendre la cure; on ne manqueroit pas d'échouer*

quæ gonorrhœa laboranti ex urethra exſtillat? Denique cum non exulceratæ ſunt, ſed inflammatæ duntaxat viæ lacrymales? aſt non poſſibile eſſet medico, in caſibus allegatis atque pluribus aliis non abſimilibus, dummodo cauſam morbi inveſtigaret ſedulo, curationemque debito tempore ſuſciperet, fiſtulam medicamentis diætæque regimine ſolo profligare? Audiant hæc ægroti nimium creduli, qui ſtatim ac morbo noſtro jactantur, capita ſua credunt inſtrumentorum patronis: audiant etiam barbitonſores, balneatores, agyrtæ, circulatores imperiti atque id genus artifices, Medicamentis ſolis cedere quandoque fiſtulam; neque per neces & funera, quorum triſtiſſima vidi exempla, in poſterum crumenas miſerorum emungant!

Hæc autem medicamenta vel interna ſunt, vel externa. Quoad interna, quæ tunc requiruntur, ea debent indicationibus ſemper accommodari: quapropter determinari non debent, ſed medici artis ſuæ gnari judicio permitti. Attamen in ejuſmodi fiſtulis plurimis ſummum auxilium ab antimonio, kerme minerali, cortice peruviano, mercurio dulci, aconito, cicuta, pulſatilla Störkii, arnicaque, interpoſitis interea laxantibus, repeti poſſe nequeo quin proferam.

Quod ſpectat externa, nihil videtur veſicatoriis, fonticulis, ſetaceis, cucurbitulis, venæſectionibus, ſcarificationibusque efficacius: hirudines quoque & decantatus ille Laureolæ ſeu Daphne Mezerei Linn. cortex debet etiam in uſum adhiberi. In topicis autem medicamentis parum omnino fiduciæ reponendum, ni adſit atonia ſacci lacrymalis: quo in caſu aqua frigida, roborans quodvis aut adſtringens, quemadmodum infuſum corticis chinæ, aut veronicæ, in uſum trahatur.

Atque hæc dicta de medicamentorum ope ſufficiant! nunc ad operationes chirurgicas jamjam deſcendamus. Hic viam plurimis tritam inſiſtere nequaquam animus: quid enim ſuſciperem novi, ſi ſeligerem præcipuas medendi methodos,

easque morbi varietatibus accommodatas describerem cum aliis? quid utilitatis præberem, si secundum loca, quæ occupat morbus, curationem in quatuor partes quasi dividerem, nempe in punctorum, canaliculorum, facci lacrymalis & ductus nasalis medelam; atque ipsam tum injectionibus tum incisione institui posse cum aliis declararem? neque ferrem operis pretium, neque lectoribus veri cupidis quid præter recoctam crambem apponerem. Ergo ut rem uberiori sermore complectar, catalogum omnium methodorum certo cognitarum & tam a veteribus quam a neotericis ad nostra usque tempora exercitatarum tradam; addam earum correctiones; morbos subjungam, in quibus debellandis maximam salutis spem chirurgis attulerunt. Ea ratione licebit unicuique uno intuitu, quid pravum sit, quid optimum, perspicere, atque ex relatis propriam sibi methodum animo effingere. Itaque agam

De variis vias lacrymales restituendi methodis.

Si evolvimus chirurgorum vel vetustissimorum libros, atque in illis, quid de morbis oculorum & curatione nobis tradiderint, inquirimus; id compertum nobis erit & exploratum iis vitia anguli interni oculi viarumque lacrymalium non multum innotuisse. Proprie quidem de fistula lacrymali non egit HIPPOCRATES: probabile tamen esse videtur, posse quemvis allegatum a PLATNERO locum *q)* de hoc morbo interpretari.

GALENUS autem morbum nostrum jamjam dilutius tractat, & variis in locis varia medicamenta præscribit; quæ hic prætermittam, de operationibus solummodo verba factu-

q) In Dissertat. cit. pag. 22. in notis n. 48. ubi ex prænotionibus §. 511. Tom. VIII. pag. 882. citat.

mus. Tres methodos describit GALENUS: enarrat primo, quæ fuerit ARCHIGENIS methodus; idque his verbis r): " quod si medicamentis non sanentur ægilopes; diviso an„ gulo, & cum tenui perforato terebello continuis foramini„ bus incussis disparato, capitale emplastrum exhibeto; dis„ cedunt enim squammæ, & sanabuntur. Aut osse denu„ dato, cauterium admove, & sic squammulæ discedunt ac „ sanantur. Quidam dividentes angulum, ossi, qua parte „ perforatum est, angustum infundibulum admovent, ac „ plumbum liquefactum infundentes curant; atque hoc mo„ do optime sanant." Alio loco ita loquitur s): "ægilops „ ad os usque excidentes ferramentis candentibus aduri„ mus. Sunt autem qui loco ferramentorum candentium, „ terebra os forant usque in nares."

Sequitur nunc CELSI methodus. De ægilopis curatione his verbis loquitur ille vir industria præditus singulari atque omni veneratione dignus t): " Etiamnum in angulo „ qui naribus propior est, ex aliquo vitio quasi parva fistula „ aperitur, per quam pituita assidue distillat: αἰγίλωπα „ Græci vocant. Idque assidue male habet oculum: nonnun„ quam etiam, exeso osse, usque ad nares penetrat. Idque „ interdum naturam carcinomatis habet: ubi intentæ venæ „ & recurvatæ sunt, color pallet, cutis dura est, & levi „ tactu irritatur, inflammationemque in eas partes, quæ „ conjunctæ sunt, evocat. Ex his eos, qui quasi carcinoma „ habent, curare periculosum est: nam mortem quoque ea „ res maturat. Eos vero quibus ad nares tendit supervacuum: „ neque enim sanescunt. At quibus in angulo est, potest „ adhiberi curatio; cum eo, ne ignotum sit, esse difficilem; „ quanto autem angulo propius id foramen est, tanto diffi-

r) Lib. V. de *Composit. Pharmac. secund. loc.* pag. 595.
s) In *Lib. cit.* Cap. XXIX.
t) De *medicina* Lib. VII. Cap. VII. §. 52. pag. 4.

„cilior eſt; quoniam peranguſtum eſt, in quo verſari poſſit „manus: recenti tamen re mederi facilius eſt. Hamulo „autem ſummum ejus foraminis excipiendum; deinde totum „id cavum, ſicut in fiſtulis dixi, uſque ad os excidendum; „oculoque & cæteris junctis partibus bene obtectis, os ferra„mento adurendum eſt vehementius. Quod ſi jam carie vexa„tum eſt, quo craſſior huic ſquama abſcedat, quidam adu„rentia imponunt, ut atramentum ſutorium vel chalcitidem, „æruginem raſam: quod & tardius & non idem facit. Oſſe „aduſto, curatio ſequitur eadem, quæ in cæteris uſtis." Hic habes methodum, quam omnes fere reliqui in curatione ægilopis adhibuerunt, quapropter non incongruum duxi, ipſamet auctoris verba repetere. His ſi comparas verba Aetii *u*) confuſe licet mentem ſuam aperuerit, curatio ejus a Celſica non videtur eſſe aliena; ac proinde ab ea recenſenda non immerito abſtinebimus.

Paulum Aeginetam, quamvis in curatione parum differat a prædictis, nihilominus ſilentio prætermittere non poſſumus; cum huic perforationis terebrationisve inventum tribuant auctores bene multi. Oportet autem, juxta ipſum *x*); ſi in ægilope ad ſummam cutem eruperit abſceſſus, totam ejus extuberantem partem uſque ad os circumcidere, & ſi ad malam ſubierit fiſtulam, totam aperire; tum ſi os corruptum eſt, radere; ſique carie jam vexetur, adurere, aut poſt carnis exciſionem terebra ſeu perforationis ope humores vel pus in nares traducere.

Hæc ſunt quæ legimus, quæque annotatione digna exiſtimavimus tam in Græcorum quam Latinorum monumentis. Inter Arabes vero, qui anatomiæ operam navare ſua religione prohibiti, omnem ab anteceſſoribus ſcientiam depromere tenebantur, nihil attentione dignum legere eſt,

u) *Medicin. Tetrabiblos II.* ſerm. III. Cap. 82.
x) De *arte medendi* Lib. VI. Cap. XXII.

cum omnia fere excerpſerint. Lubuiſſet quidem, quæ Avicenna y), Haly Abbas z), Isaacus Israelita a), Museus, Albucasis, Rhasesque de hoc morbo poſteritati tradiderunt, eadem in hoc opuſculo recenſere, ne quid mancum ederem; at methodos eorum ſententiaſque, cum a prædictis nulla ratione differant, allegare ineptum tædioſumque videretur.

Arabibus, longo quamvis intervallo, proximus eſt Guido de Cauliaco, qui mitiorem aliquantulo chirurgiam propoſuit: non enim omnem carnem exſcindere jubet, ſed per inciſionem ſimul & corroſionem curare. "Incidit nempe „cum lanceta forti," ut ejus verbis utar: "linea recta, a „lacrymali, quantum eſt poſſibile, elongando, uſque ad „ſacci fundum; implet tunc vulnus, & in craſtinum diem „differt operationem, quo medicamenta corrodentia appli„cat." Inſtituebatur jamjam hæc duplici tempore operatio, ut cum ægrotis partim ob hæmorrhagiam, partim ob dolores mitius ageretur.

De hoc chirurgico morbo etiam bene meruit in hoc Paræus, quod accuratam carioſum os adurendi methodum deſcripſerit b); nimirum inſtrumentum ad id idoneum reperit, cujus figuram in ſuis operibus expreſſit: eſt autem illud, ferrum triangulare, in extremo, quo celerius penetret, acuminatum, perforatorio, recentioribus *troiscart* dicto non abſimile.

In hac chirurgiæ parte nequaquam etiam prætermittendus eſt Hercules Saxonius: hic porro auctor de ægilope agens, ob practicorum minime ſufficientem cauterii actualis applicationem valde conqueritur c); "Oportet urere, in-

y) *In Libr. Canon.* Lib. III. Cap. 14.
z) *Diſpoſ. reg.* Part. Theoret. Lib. IX. & Part. pract. Lib. IX.
a) Lib. IX. *Pract.* Cap. LXXX. pag. 410.
b) Vid. Paraei *opera omnia* Lib. XVII. Cap. XV.
c) In *Panth. medicin. ſelect.* Cap. XIX. Lib. I.

„ quit, illum locum per viginti aut triginta dies continuos, „ antequam illa squama separetur. Neque credatis quatuor aut quinque ustiones sufficere, ut nonnulli practici di„ cunt, qui forte hanc operationem nunquam viderunt." HERCULEM in præscriptis legibus secutus est SEVERINUS, seque plurimos hac methodo sanasse affirmat *d*). His immediate subjungo JOANNEM A VIGO *e*), JOANNEM FERNELIUM *f*), PETRUM FORESTUM *g*), JOANNEM RIOLANUM, DANIELEM SENNERTUM *h*), RIVERIUM *i*), COWPERUM *k*) & RASORIUM *l*), quem ideo loquentem adducam, quoniam adurendi methodum sedulo nitideque descripsit. "Incisio autem „ quantum fieri potest, ait, sit in modum dimidiatæ lunæ, „ & sub oculi orbita, supra tumorem scalpelli acies caute „ ducatur; quod si fœdum ulcus in ægilope cariem ossis in„ ferat occultam, tunc dilatato ulcere sordes sedulo abster„ gendæ sunt, & reliqua obstacula removenda, quo ita cu„ ries ossis clare appareat. Instrumenta præsto sint dupli„ cia *m*), manubriis instructa; unum cannulatum, quod cau„ terium actuale in se recipiat, ut ad ossis cariem transmitta„ tur. Alterius ordinis sunto tria cauteria ignita, quæ per „ prius instrumentum cannulatum in os carie obsessum indu„ cenda sunt." Aeger in claro loco & altiore sella collocetur,

d) In libro de *medicina efficaci*, Erford. 1646. & in *Pyroth. Chirurg.* f. c.

e) Vid. *Practic.* Part. I. Lib. IV. Lugd. Batav. 1582.

f) In *Medicin. univers.* Tom. II. Lib. V. Cap. 5.

g) Vid. *Observat. & Curation. med. ac Chirurg.* Sect. II. Lib. XI. observ. XIV.

h) Vid. ejus *Opera omnia* Tom. II. *Part. pract.* Lib. I. Sect. II. Cap. XXX.

i) Vid. ejus *Opera medica universa* Lugd. 1698. *Praxeos med.* Lib. II. Cap. XV.

k) Vid. *Acta Lipsiens.* ann. 1699.

l) In *Differt. citat.* §. XXVIII.

m) PLATNERUS ejusmodi instrumenta figuris expressit dissertationi suæ adnexis. Vid. fig. 11. & 12.

„ oculus affectus plumula aqua rosacea & albumine ovi delibuta ab igneis effluviis muniatur. Circa locum affectum embroche fiat, ex oleo rosaceo, & ita uterque oculus fasciis obvolvatur; firmiter interim caput ægrotantis a famulo teneatur, ne vacillet, atque ita manum chirurgi turbet. His ita peractis chirurgus cannulam (femellam) offi carioso admoveat sinistra, dextra vero cauterium masculum arripiat, & per ante dictam cannulam introducat, bis terve successive, nulla interposita mora. Si caries nondum destructa, secundum instrumentum ad manus sit paratum, & ita tertium, donec fontem istum malignum probe exsiccatum viderit. Caute igitur peracta ustione plumula munda ac mollis offi imponatur, & altera plumula unguento digestivo delibuta circum circa applicetur. Embroche ad præcavendam inflammationem instituatur, tandem splenium imponatur & fasciis rite deligetur. In posterum singulis diebus mane & vesperi medicamenta removeantur, donec digestio succedat, & exfoliatio facta fuerit."

Labentibus annis sensim sensimque mitiores excogitati sunt in fistula lacrymali curanda procedendi modi. Sic enim non in omni casu statim cauterium actuale admovebatur, quemadmodum apud HILDANUM legimus n): in offis carie quidem haud plane illud rejicit; cum pulvere tamen euphorbii cariem a se tam feliciter ablatam afferit, ut cauterio actuali nunquam usus fuerit: observavit quoque fistulam inveteratam vix sine setacei applicatione curari posse o). Quam dein sententiam iniverunt secundum illum THEVENIUS p), PETRUS DE MARCHETTIS q), SOLINGEN, JOANN. VAN HORN r), aliique. Neque semper ipsam cutis disruptionem expectabant

n) Vid. *Observat. ejus Chirurg.* Cent. V. Observ. 22. & Cent. VI. obs. 3.
o) In *Centuria* IV. Obs. XIX.
p) *Traité des Opérations de Chirurgie* Chap. CVI. pag. 126.
q) *Observation. medico-chirurgicarum rarior. syllog. Observat.* 22.
r) In JOANN. VAN HORN *Mirotechne.* Sect. II. Pars I. §. VI.

exſpectabant ut antea, ſed juxta propoſitam a cel. BARTISCH methodum *s*), fiſtulam, ſi tumorem repræſentabat, aperiebant; aut mitiorem imitabantur medendi modum FABRICIO AB AQUAPENDENTE jam uſitatum *t*), qui in principio fiſtulæ medicamenta externa, & præprimis aquam aluminoſam laudat, atque in morbi progreſſu compreſſionis ope illam curare conabatur: quem in finem inſtrumenta ad glutinandum, ut ait, ſinum *u*), idonea excogitavit. Quid de his inventionibus, de inciſione tumoris, de ejus figura locoque dijudicandum ſit, paulo infra tractabimus; hoc unum affirmantes, lenioribus hiſce methodis uſos fuiſſe practicos haud paucos, inter quos CHARRIERIUM, LE CLERCIUM, VERDUCCIUM, DIONYSIUM, PALFINUM & MAITRE-JAN nominare liceat: horum autem deſcriptiones hic locorum omittere ſtatuimus.

Juverit illuc, unde digreſſus ſum, ſenſim reverti; nimirum varias antiqui mediique ævi methodos recenſui huc uſque: fas ſit de practicorum curatione pauca proloqui. Videntur hunc ſcopum ſibi ſemper præfixiſſe, ut cariem tollerent, quam morbi noſtri comitem perpetuum imaginabantur: hunc in finem cauterio actuali, inſtrumentis radentibus, perforatoriis, ſepticiſque medicamentis utebantur. Quid autem præſtiterunt? Profperum licet eventum quæque operatio, irritis doloribus, habuiſſet, ut contendunt; ſemper tamen deformitas palpebrarum, notante Cel. MOLINELLI, ectropium, oculus lacrymans exinde oriebatur, aut ſupererat. Summo igitur jure, juxta Cel. PALUCCI *x*),

s) In libro, cui titulus eſt; *Augendienſt*, Sulzbach 1686.

t) In Tom. II. *Operat. chirurgic.* Cap. XXII. & in *inſtrum. icon. inv.* Tab. B.

u) De his inſtrumentis compreſſoriis vide SCULTETI *Armamentarium chirurgicum* Tab. XXXI. hic auctor tale inſtrumentum, *crinale* appellat.

x) Vid. PALUCCI *Methodum curand. fiſt. lacrym.* p. 57.

Hænii y), atque Ferrenii z), monita, ab hac crudeli operandi methodo abſtinendum: In vicinia enim eſt oculus, ſenſibile illud tenerumque organum, qui defenſoriis licet inſtrumentis ſic dictis a), atque ſpleniis aqua frigida imbutis obtegatur, facile tamen lædi poteſt. Fieri porro nequit, quin irritetur Schneideri membrana vaſculis plurimis nerviſque ditata; quæ quantum cum cerebro alat commercium, quem fugit? ergo has adurendi methodos oblivioni tradere, uſitatioreſque in uſum adhibere, ſatius.

Non plane tamen rejiciendas putarem hoc in caſu, ſi ſimul proceſſus naſalis oſſis maxillaris affectus eſt carie: tum medicamentis primo opus, quibus illa tollatur; ſi autem eorum effectus nullus eſt, aut cura nimis diu durat; perveniendum etiam eſt ad inſtrumenta, quæ radunt, quorum ſucceſſus promtus; ut igne non opus. Hoc etiam tenendum eſt in illo caſu, quem in poſterum allegabo, ubi unguis os plane deficit, & caries illud os male habet, quod oſſis loco unguis eſt; quippe lamina illa a maxillari oſſe producta atque ſinuata, quæ ſaccum lacrymalem excipit, ita craſſa eſt & compacta, ut omnia illa ſint adhibenda, quæ cariem in oſſe maxillari tollere ſupra propoſui.

Atvero innumeræ ſunt fiſtulæ lacrymales, quæ carie nequaquam ſtipatæ, methodis mitioribus jamjam ordine tractandis cedunt. Facta eſt autem, ut dicta repetam, ſalutaris illa rerum in arte mutatio, ſolius anatomiæ opera. Poſtquam Vesalius, clamante fruſtra plebecula, corporis humani fabricam ſcrutatus, plurimas a medicinæ facie tenebras diſpulit; ita Gabriel Fallopius b), Salomon Alber-

y) *In ratione medendi*, Part. VI. Cap. VI.
z) *Quæſtio medico-chirurgica, an fiſtulæ lacrymali cauterium actuale? Pariſ.* 1738.
a) *In* Platneri *Diſſert.* Tab. I. pag. 10-11.
b) Vid. Gabr. Fallopii *Opera omnia* Tract. VIII. Cap. VI. pag. 478.

TI *c*), nec non MORGAGNIUS *d*), vias lacrymales, quas detexerant, omni ingenii acie contemplati, ſpretis crudeliter operandi modis, alios propoſuerunt, cum jucunditate uſurpabiles, vel potius, ipſis aditum patefecerunt. Quemadmodum autem quævis ſcientia ad perfectionis cumulum non evehitur ſtatim, ſed innumera experimentorum ſerie indiget, ut labentibus annis varios certitudinis gradus acquirat; ſic excogitatam, mitiorem licet, methodum brevi trudebat alia, ut tertiæ locum cederet, quam nova evertere conabatur: illaſque varietates, ut jucundior fieret ac tutior, experiri debuit fiſtulæ ſanatio chirurgica. Unde autem tantus & methodorum & inſtrumentorum numerus? nimirum obſtructionem canalis naſalis, modo a viſciditate materiæ cujuſdam, modo a cicatrice variolis ſuccedanea *e*), modo ab aliis ejus generis cauſis quam plurimis oriundam in morbo noſtro ſemper adeſſe pro certo ponebant: hinc in tollendam cauſam ſæpe fictitiam intendebant animum: cumque votis non reſponderet plurimorum operatio, neque reſpondere poſſet; ſic nova excogitabatur, quæ antecedentem ſemper refutaret. Sic poterit in Galliis tum operationum, tum inſtrumentorum meſſis ampla fieri. Qui medelam in ſpecillorum & ſyringarum uſu minime ſufficientem imaginabantur, ſtatim ad compreſſionem, ad inciſionem, ad ſetaceum, ad perforationem oſſis, quam varie confugiebant!

Germanis tamen primas deferre debent Galli: etvero

c) Vid. ALBERTI *Diſſertat. de lacrymis* §. 27. & ſeq.

d) MORGAGNI *Adverſar. Anatom.* I. Tab. IV. fig. 1. & *adverſ.* VI. Tab. II fig. 3.

e) Quod fiſtula lacrymalis poſt variolas oriunda ſemper viſa fuiſſet illis inſuperabile malum, videre poteris ex GARENGEOTI *Traité des opérations*: ſic enim ait pag. 72. *Les fiſtules qui ont pour cauſe l'obſtruction des points lacrymaux, ſont quelquefois incurables, & quelquefois curables. Toutes celles par exemple, qui ſuccedent à la petite verole, ſont incurables.*

inter primos qui mitiorem operandi rationem excogitaverunt, recenſeri meretur ill. STAHLIUS *f*). Deſcripſit ille *g*) ſedem indolemque fiſtulæ lacrymalis non ſolum accuratius multo, quam priſcis temporibus; verum etiam multos errores ab ipſis in curatione commiſſos demonſtravit. Noverat enim quod purulenta excretio non per carunculam lacrymalem effunderetur in oculum; ſed ex puncto lacrymali ſic dicto ſuperiori prorumperet *h*). "Hoc, inquit, foramen „ continuo ductu tendit atque vergit ad canalem membrana- „ ceum capacem, qui ſecundum longitudinem narium deor- „ ſum procurrens, paulo inferius, quam ubi cartilago narium „ ab oſſea ſubſtantia procedit, in ipſas nares dehiſcit." Caſum, quo ſuam methodum primo exerceret, obtulit illi fœmina, quadraginta circiter annos nata, habitus ſanguinei, carnoſi, quæ balneatoris conſilio per trimeſtre ſpatium medicamentis cathereticis audacter uſa, graves exinde tum

f) STENO quidem harum partium notitiam habuit, & eas ſe ſpecillorum ope exploraſſe affirmat. Vid *Obſerv. Anatom.* pag. 90. 100. ſed hac encheireſi uſus ſolummodo fuit in cadaveribus. Hanc autem Ill. STAHLIUS ſuo ingenio ductus, primum in vivis exercuit ad curandam fiſtulam lacrymalem, quemadmodum illud oſtendit in ſuo *Chirurgiæ conſpectu* JUNKERUS. An autem Cel. RASORII verba in *Diſſert. ejus citata*, & ſi non diſtincte ſatis conſcripta, STAHLIO inventionis gloriam poſſint auferre aliquantulum, & ut ita dicam, corradere, non decidam. Paragrapho autem XXIX. his verbis loquitur: "Si caries oſſis ſit occulta, „ & involucris obvoluta, uno verbo, ſi ſit anchilops; danda eſt „ opera ut illa per ſtylum argenteum aut ferreum cognoſcatur, „ & ut os denudetur, ſcalpelli cuſpide, atque ita inſtrumentis „ pateat aditus". Probare videntur hæc verba RASORIUM viarum lacymalium explorationem tentaſſe ante STAHLIUM, vel ſaltem prius propoſuiſſe.

g) In propemptico inaugurali de *fiſtul. lacrym.* Diſſert. de *affectibus oculorum in genere.* Halæ Magdeb. 1702. edita, annex. Reſpond. LANGE.

h) Notatu dignum videtur, cum vias lacrymales ſedulo deſcripſerit, quod punctum lacrymale inferius ſibi nunquam viſum affirmet.

oculi tum genæ dolores, & capitis cruciatus atrocissimos in credulitatis mercedem reportaverat. Hoc autem modo operationem suam instituebat.

Methodus Stahliana.

Loquitur hic cel. vir. " Præparato itaque corpore, & explorato prius, per ipsum illud punctum lacrymale, (quod facile tolerabat patiens, mediante chorda chelios cera in apice imbuta,) flexu illo, quo ad sinum usque seu communem capacitatem ipsius primarii ductus sese recipit, & distinctis sanguiferis in hac persona conspicuis vasis, incisionem, directi cultelli cuspide oblique, ab oculo versus nasum fieri curavi, ad os usque nasi penetrando; quam uti nimis latam adornare non convenerat, turunda dilatari feci, & impositis dehinc eximie mundificantibus balsamicis, donec fundus, qui initio nigricabat, (nempe ex aliqua carie illius superficiei ossis narium,) æque atque totus ambitus incisionis, legitime mundificatus compareret; neque ullo modo, ad & per punctum lacrymale quicquam saniei ad oculum amplius propelli posset: (quod primis duabus septimanis adhuc eveniebat, obligato vulnere.) Tunc demum successive & e fundo extrorsum, breviore in dies turunda, consolidari permissum hoc foramen: adhibita denique trochlea compressoria, proportionate, prout cicatrix ipsa coibat, ad majorem indies compressionem adducta; sicque hoc malum sublatum, ægrotaque pristinæ sanitati restituta est."

Quid de hac methodo sentiendum sit, paucis dicam: Nonne hanc, sive tempus quo inventa fuit, sive rationem medendi consideres, tanquam reliquarum omnium fontem debemus contemplari? Hinc liquet, cur emendatam illam pro nova obtrudere cupidi chirurgi, STAHLIUM semper ejusque methodum alto silentio prætermiserunt.

Ex ea emanavit famosissima hæc decantataque plurimis

Methodus Aneliana.

Laborabat jamjam diu oculorum morbo Abbas Fieſchi; cumque inutilem ipſius fiſtulæ lacrymali curam admoviſſent viginti quatuor ab annis celeberrimi tunc temporis Italiæ medici atque chirurgi; Anelium in auxilium vocavit. Ingenioſiſſimus hic vir, qui ſingularem viarum lacrymalium ſtructuræ notitiam ſibi comparaverat, quique methodis antiquorum, utpote inidoneis, nuncium remittere meditabatur, viſo Abbate, mitiorem huic medelam afferendi conſilium cepit. Concludebat ex effluente materia, ex tumoris inflammatorii abſentia, aliisque ſymptomatibus, obſtructionem canalis naſalis, ſi non unicam, genuinam tamen in ægroto ſibi commiſſo morbi cauſſam eſſe; atque in ea debellanda totis ingenii viribus incubuit. Fabricandum itaque hunc in finem curavit ſpecillum argenteum, in extremitate globulo munitum, ne vel pungendo vel lacerando lædere poſſet. Ut ſpecillum hoc orificiis ductuum lacrymalium adæquaret, immiſit antea ſetam porcinam, in apice cera obductam, quæ ſpecillorum craſſitiem determinabat, quorum ope non ſolum aperiebatur ſaccus, ſed ipſe etiam morbi ſtatus explorabatur. Ut autem materies ex aperto ſacco effluere properaret, atque parietes ejus expurgarentur; ſyringam *i*) invenit, quæ, ut ſtylus ſupra deſcriptus, ita verſus extremitatem tubuli gracilitate eadem noduloque gauderet *k*). Injici poſſunt hujus

i) Hæc inſtrumenta ipſe auctor deſcripſit & figuris exprimi curavit in libro rariſſimo, cui titulus. *Nouvelle méthode de guérir la fiſtule lacrymale, ou Recueil de differentes pieces pour & contre & en faveur de la même méthode nouvellement inventée, par Dom.* Anel, *Docteur en Chir. &c.* Tur. 1713. Hac figuræ videntur in *Diſſ.* Platneri fig. 1. 2. & in Heisteri *Inſtitut. chirurg.* Tab. XVI. fig. 14-15. & in Garengeoti, *Traité des inſtruments* Tom. I. pag. 363. f. 3. 4. 5.

k) Nonnullis valde brevis eſſe videtur hic ſiphonis tubulus: longiore, ut ajunt, paululum curvato, noduloque carente, in ſaccum

ſiphunculi ope liquida medicamenta, ex abſtergentium, conſolidantium, diluentiumve claſſe deſumpta, pro morbi indicatione & uniuscujuſcunque lubitu. Quem trahebat in uſum cel. ANELIUS, liquor ex ſolutione ſalis ſedlicenſis, adjecta aquæ ophthalmicæ quantitate multa, conficiebatur. Eximiis laudibus efferunt infuſum veronicæ cl. SCHOBINGERUS *l*), atque GUERINUS *m*); aquam ſimplicem aut vulnerariam, LA FAYIUS *n*); aquas minerales varii generis HEISTERUS *o*); mixturam ex aqua hordei cum pauxillo mellis roſarum & ſpiritus vini PORTALLIUS *p*). Eaque ratione ſeſe illuſtrem Abbatem brevi tempore, & paulo poſt matrem Regis Sabaudiæ ſereniſſimam ſanaſſe teſtatur auctor illuſtris.

facilius penetrari poteſt, & multo melius liquor intrudi. Hujus inventionis autor eſt, cl. BERTRANDI, in ſuo libro: *Traité des opérations de chirurgie*, pag. 303. *L'injection par le point lacrymal inferieur*, ait, *réuſſit toujours mieux, ſi on la fait avec un ſyphon, dont le tube ſoit un peu courbe, & il faut que le ſyphon ait un tube un peu plus long, qui puiſſe pénétrer par le point & le conduit lacrymal, de l'une & l'autre paupière, juſques dans le ſac.*

Eadem eſt HENKELII mens, quippe talem figuram exprimi curavit in 2 *Stück chirurgiſcher Operationen* fig. 2.

JOANN. HARTM. DEGNERUS varia quoque incommoda obſervavit in inſtrumentorum & ſiphunculi præprimis applicatione; novum ideo excogitavit inſtrumentum, ut ſpecillum & ſyringa ſimul ad affectum oculum admoveri queant: cujus iconem dedit in *collect. Vratislavienſ.* ann. 1725. menſe Aprili, Claſſ. V. art. I. pag. 436. figura exſtat. pag. 439.

Fit nempe interdum, ut liquor injectus rurſus redeat ad oculum: quod ut deditaret, inſtrumentum invenit adeo longum, ut ſeptum naſi attingere queat: interius cavitate gaudet, ut ſyringæ tubulum recipere poſſit. Attamen correctio hæc, juxta opinionem noſtram, nullam admirationem meretur.

l) In *Diſſert cit.* § XVI. pag. 20.
m) In *lib. cit.* pag. 137.
n) In *notis ad Dionis operationes.* pag. 565.
o) in *Diſſertat. citata.*
p) In *Précis de Chirurg. pratique*, Par. 1768. p. 452.

Deſcripſit porro methodum ſuam Anelius q); ſed quam par erat, verboſius: hanc poſtea cel. Heisterus preſſiori ſtylo evulgavit r). Hic autem erat procedendi modus.

Aegro in ſella paulo demiſſiori collocato, in loco lucido; indice alterutrius manus elevabat ſuperiorem palpebram, ut punctum lacrymale in conſpectum prodiret; quod cum diſtincte videret, altera manu parvum ſpecillum paulo incurvatum blande intrudebat: immiſſum ſic in ſaccum lacrymalem ſpecillum dirigebat verſus canalem naſalem, & leniter premendo in nares adigebat. Huc vero perventum, tam ſenſu percipit ægrotus, quam indicat ſanguis vel alius humor e naribus exſtillans. Extrahitur tunc temporis ſpecillum, & per punctum lacrymale inferius ſyringa immittitur. Quod ut fiat, æger ipſe uno digito palpebram inferiorem trahit deorſum, atque chirurgus adacto fixa manu inſtrumento, liquorem in ſaccum propellit.

Mirum quidem videbitur, quod ſpecillum non niſi per ſuperius lacrymale punctum, ſiphonem autem per inferius duntaxat admoveri jubeat ill. Anelius. Si enim ad viarum lacrymalium directionem perſpicimus, illud magis arridet nobis tam ſtylum quam ſyringam introducere in punctum lacrymale ſuperius, & raro admodum, niſi pro reſeranda ductuli apertura, in inferius intromittere. Neque enim nobis accipienda videtur auctoris ratio, qua contendit palpebram inferiorem ac proinde punctum ejus lacrymale fixum magis & ſtabile reddi poſſe; cum palpebram ſuperiorem muſculus elevator mobiliorem efficiat. Quoniam autem hæc quum ſtyli tum ſyringæ applicatio præclaram manus dexteritatem

q) In *libro citato*, & in parte ejus quaſi ſecunda, cui titulus ineſt: *Suite de la nouvelle méthode de guérir les fiſtules lacrymales, ou Diſcours apologetique par Dom.* ANEL. Tur. 1714.

r) In egregia Diſſertatione de *methodo nova curandi fiſt. lacrym.* Altdorf 1716. in qua methodum ex profeſſo tractat.

ritatem requirat; neque methodus operandi hucusque tradita, fuerit nostra accuratior; hic liceat illam paucis describere.

Collocetur æger in conclavi lucido, ita ut radii solis affectam partem non directo, sed potius a latere collustrent; si necesse est, exprimatur, id quod in sacco lacrymali continetur; his peractis, tum applico volam manus sinistræ, si sinister, dextræ, si dexter oculus laboret, ad ægri caput, extensisque supra ipsum digitis, sic ut firmari aliquantulum possit. Elevo nunc pollicis ope palpebram superiorem, eamque paululum tempora versus attraho, atque tantisper reclino, quo lacrymale punctum evidentius in conspectum prodeat. Assumo tunc altera manu specillum, paulo incurvatum, & nodulo instructum, qui cum punctorum lacrymalium apertura pari diametro concurrit: introduco illud horizontali directione in ipsum punctum, inclino tum superiorem specilli partem externum canthum oculi versus, & non tam premendo, quam vertendo leniter & contorquendo per ductulum transmitto, cujus in finem cum pervenerit, summitatem styli ita ad radicem nasi traduco, ut descripto semicirculo, quasi perpendiculariter situs, posteriora versus paulisper inclinetur styli inferius extremum; atque sic in saccum lacrymalem ingrediatur, quo ubi pervenit, lenem adhibeo pressionem, ut canalis nasalis aperturam subeat, nodulumque ita converto, ut septum magis respiciat; ne pressione atque frictione nervosissima illa SCHNEIDERI membrana supra modum irritetur.

Perfici potest eadem ratione syringæ applicatio, hoc tamen cum discrimine, quod tubulus ejus non ita alte protrudatur. Apprehenditur indice medioque alterutrius manus digito syringa, annulus autem emboli pollicem recipit, quo premente liquidum in locum destinatum propellitur. Manui firmandæ inserviunt reliqui digiti. Dum autem liquor intruditur ad promtiorem tutioremque sanationem valde ne-

ceffum eft, faccum lacrymalem fingula fyringæ applicatione digito premere. Hanc enim conditionem fi omittis, debilitatur plurimum faccus, diftenditur magis atque magis, neque contentum in eo per canalem nafalem ad nares delabitur.

Quæ cautiones in applicatione ftyli adhibendæ fint, quæ etiam incommoda devitanda, hic prætermittere lubet, quum hæc omnia noffe debeat, quicunque vult operationem noftram inftituere: pariter extra cancellos, quos mihi ipfe circumdedi, egrederer, fi fingulas auctorum ea de methodo controverfias enumerare vellem: leviffimi quidem momenti funt ejus refutationes a FRANC. SIGNOROTTI & WOOLHOUSIO propofitæ; majoris autem, quas cl. MORGAGNIUS atque cel. BIANCHUS in medium adduxerunt. Quid autem? omnem fane huic methodo utilitatem abnegare non poffumus. Limites quidem excedere videtur auctoris fiducia, cum hanc virtutem ei attribuat, ut callos duriores, ipfamque cariem ea fola curari afferat. At plurimis in cafibus poteft cum fucceffu ufurpari. Hunc in finem fpecilla in ufum trahere merito poffumus, quando puncta lacrymalia obftructionem pati vel coalitionem incipiunt; ficuti dum ille adeft morbus quem græci *Synizefin* appellant, qui non adeo rarus, illos præcipue adoriri folet, qui longa fufcipiunt itinera, vitriariam exercent artem, & vehementem caloris gradum experiuntur, ut infpiffatus lacrymalium glandularum mucus reforberi præpediatur. Valent etiam fpecilla, dum explorandus eft morbi ftatus, valida & facci inflammatio aut intumefcentia; caries urget, aut alia adfunt fymptomata, quæ medico inveftiganda funt, antequam curam fufcipiat. Qua ratione fecurius, quam fpecillorum ope, cavitates morbofæ cujuslibet ftatus explorabitur?

Quod de fpecillorum, idem de fyringarum applicatione nobis affirmare liceat. Quem enim fugit, quam eximius fit injectionum ufus in vulneribus mundandis, abftergendis, confolidandis? Votis ergo noftris refpondebit iftius inftru-

menti applicatio, ſi abluere volumus parietes ſacci, ſi acrimoniam mitigare, & ſpiſſitudinem diluere animus, ut ſic aptior ad exitum fiat humor in ſacco contentus. Quidquod vi quadam truditur liquidum, ac proinde inſpiſſata materia promtus reſolvi debet, ut promtior multo cura injectionibus ſuccedat. Immitti quidem poteſt in angulum oculi internum quodvis fluidum morbo accommodatum; at repletus ſemel lacrymis ſaccus iiſque diſtentus fit ad reſorptionem ineptus: comprimi poteſt etiam digito, verum expreſſa fluidiori parte remanet ſpiſſior; diluit autem omnia injectio & canales reſerando, ad egreſſum idonea reddit.

Quantæ etiam utilitatis ſyringæ uſus, ſi in eo ſtadio verſatur fiſtula, quod primum appellat cl. POTTIUS s)? quantæ, ſi ſit cum ea carie conjuncta, in qua ſponte fit oſſis unguis exfoliatio, quemadmodum cel. viro ACRELIO t), PALUCCI u), aliiſque videre contigit, & injectionum forſan adverſariis, qui rem alto ſilentio ſed ingenioſo prætermiſerunt? quantæ in hydrope, (*hydropiſie du conduit lacrymal*) in hernia, aut denique in atonia ſacci? nonne idoneis medicamentis per ſyringam immiſſis, poteſt in priſtinum ſtatum reſtitui?

Novi quidem in hoc caſu nonnullos tum medicamenta topica, tum compreſſionem adhibendam ſuadere; in hac autem ultima non mediocri cautela opus. Vario enim modo, ſive faſciarum, ſive inſtrumentorum ſic dictorum crinalium

s) *loc. citat.* pag. 11.
t) Vid. in *lib. cit.* pag. 156. n. 7.
u) In libro cui titulus: *methodus cur. fiſt. lacrym.* pag. 96. ita loquitur: "Digna animadverſione fuerunt, in hoc mox relato caſu, „ ſquammulæ, atque oſſium fragmenta, quæ adinſtar cicerum „ malleo confractorum ſæpiſſime exierunt. Argumento ſane, quod „ natura, cum primum ſui compos eſt, nec ulterius ab inductis „ cauſſis affecta, ſcit per ſe ſola, vel cum leve artis adminiculo „ iis dehonorari, quæ vel inutilia vel nocua ipſi ſunt, quorum „ numero procul dubio, accenſenda eſt oſſium caries."

ope inſtituitur, atque cum collaudetur ab aliis, ab aliis autem vituperetur, de hac ideo pauca addere juverit.

Olim deligatio faſcia circulari, (*bandage circulaire*) impoſitis antea tumori ſpleniis gradatim craſſioribus abſolvebatur; quemadmodum ex VERDIERIO diſcimus, quem ſecutus eſt in hoc DIONISIUS, & ſummis laudibus proſecutus eſt. Viſa autem eſt multis hæc compreſſio non ſatis valida, quapropter chartam bibulam aut maſticatam *x*), vel aliud durum corpus ſpleniis ſupponendum propoſuerunt, quod firmaretur faſcia monoculo, (*l'œil ſimple*) *y*) & per menſis ſpatium in applicatione contineretur.

Alterum compreſſionis genus FABRICIUM AB AQUAPENDENTE inventorem agnoſcit; nimirum ex ferro aut chalibe cudi curavit inſtrumentum quatuor laminis confectum, quarum una, partim ad compreſſionem adaugendam, partim ob illam accuratius dirigendam, cochleæ ope ad tumorem admoveri poterat, iterumque removeri. Hocce inſtrumentum cum loro capiti firmiter applicabatur *z*). Eodem fere modo fabrefactæ ſunt machinæ, quas in SCULTETO *a*), PALFYNO & PLATNERO *b*), depictas invenimus. Cum plurimum ex his crinalibus emolumentum ſperarent practici, hinc in adhibenda iis correctione multum deſudarunt, ne defœdarent ægrotum, vel quamdam ei moleſtiam exhiberent. Hinc orta ſunt tot compreſſoria Clar. virorum PETI-

x) Vid. GARENGEOT in *lib. cit.* pag. 78. *je crois*, ait, *que ſi on mettoit avant les compreſſes*, *un morceau de papier gris mâché*, *il comprimeroit exactement le ſac dans tous ſes points.*

y) HENKEL *vom Verbande* Tab. V. fig. 42. & hujus faſciæ applicationem deſcripſit pag. 98. §. 93.

z) Vide HIERON. FABR. AB AQUAPENDENTE, *opera chirurg.* Part. II. cap. XXII. Tab. B.

a) Vid. SCULTETI *Armamentura chirurg.* Part. I. Tab. IV. fig. I. & Tab. XXXI. fig. 5.

b) In ejus *Diſſert. ſæp. citat.* fig. 3.

TI *c*), BILLI *d*), SHARPII *e*), HENKELII *f*), aliorumque, descripta variis in libris, atque figuris expressa *g*).

Harum machinarum, ut vera fatear, elegantissima sane est inventio, ingeniosissima compositio; quo fato fieri dicam, ut nullius sint usus, neque vel levissimae utilitatis? Etvero distentus lacrymarum saccus, quemadmodum experientia docuit, cessante caussa, ut omnes corporis nostri membranaceæ partes, sic & ipse, absque compressione ulla, pristinum robur pedetentim recuperabit. Adjuvant musculi antrorsum siti, qui suam contrahendi vim jamjam exerunt, quosque compressio vetat suo officio fungi.

Quod si præterea ad practicorum in hac occasione mentem respicimus, hæc illa, nisi præcipua, attamen primaria fuit, ut canalis nasalis obstructionem tollerent. Illud autem impossibile omnino facile intelliget quicunque structuram partium noverit: Apophysis enim ossis maxillaris prohibet quominus pressio agere possit canalem versus, premi ergo debent canaliculi, claudi, & si protrahitur cura, conferruminari. Hanc ob caussam iteratum specillorum usum præscribunt practici; hinc etiam proxima lacrymantis oculi caussa. Novam rationem afferre liceat, quæ compressionis inutilitatem confirmat. Accidit in sacci apertione, purgato per injectionem ulcere, restituta canalis nasalis apertura, ut firma cicatrix, quamvis saccus antea mire distentus fuerit, saccum retineat, qui lacrymas in nares dirigit, ut hoc in casu plane compressoriis instrumentis supersedere possit. Im-

c) *Mémoir. de l'academie royal. des Scienc.* ann. 1745. & in *oper. posthumo* Pl. 78.

d) DOMINIQ. BILLI. *Traité des maladies des yeux*, pag. 194.

e) SHARP. *Treatise on the operations of Surgery.* Chap. XXX. Pl. XI. fig. E.

f) In *lib. citat.* fig. 4.

g) Sic in *Mercure de France du mois de Novembre* 1760. p. 110. videre est, novi instrumenti figuram atque descriptionem.

mo si feliciter cessit ejusmodi cura, compressorio adhibito effectum tribuis, qui sane cicatricis erit; hoc elicies ex sequenti observatione: quod si enim illa sacci dilatatio versus orbitam elevata est, & saccus eum versus locum directus, quum margo ille ossis unguis alias acutus elatusque demissus depressusque est, ut quo minus anteriora versus emineat, orbicularis musculus sua actione impediat; tunc cicatrice licet facta, attamen oculus lacrymans evitari nequit. Colliguntur enim lacrymæ in sacculo, spissescunt & novis lacrymis in saccum advenientibus iter in nares impediunt, ita puncta lacrymalia sua resorbendi vi prædita, lacrymas absorbere nequeunt, cuncta quippe liquore turgida, ut palpebræ lacrymas retinere amplius nequeant, quæ supra genas delabuntur. Quid tum, quæso, crinalia recentioribus adeo laudata, saccum diu comprimendo præstarent? ergo roborare illum, tonum ejus restituere rursus, & ne distendatur iterum atque fibræ debilitentur, contentum in eo liquorem pro ipso ægrotantium lubitu digitis identidem exprimere satius est.

Quam egregia sit interdum ANELII methodus, quam optabilis injectionum usus, hic probare supersedeo. Fas sit itaque illustr. virorum HEISTERI, PLATNERI, MORGAGNI, MOLINELLI, LOUIS, atque POTTII observationes indubitatas hac occasione prætermittere; unum hic locorum adducam, illustr. LOBSTEINIUM, ut versatissimum in plurimis scientiis, sic omni fide dignissimum. Asserit autem sese hac methodo sæpissime ægrotos ad pristinam sanitatem restituisse.

Neotericis vidimus in ægilopis cura obstructionem præsuppofuisse perpetuo; cariem ejus individuum comitem reputabant veteres, eamque a protracta medela sæpissime oriundam sanare conabantur, sive adurendo os unguis, sive illud auferendo, neque quid aliud tunc temporis meditabantur, quam ut expurgarent ulcus atque ad sanationem idoneum redderent. Hanc methodum partim secutus est Cel.

WOOLHOUSIUS. Refutato enim ANELII procedendi modo, unicum in offis unguis perforatione auxilium pofuit, eo cum difcrimine, quod omnem fiftulam lacrymalem, cariei conjuncta fuerit, nec ne, hac via curandam fufciperet. Cum autem fecuriffimum in hoc morbo remedium arbitraretur novum lacrymis referare iter, atque ita lacrymationem oculi & ectropium evitare, eopropter a fua medendi ratione nunquam deflexit. Eam quidem nequaquam defcripfit cel. auctor, quantum mihi compertum eft; at vero hoc utiliffimum arti onus fibi impofuit ill. PLATNERUS *h*), cujus indefeffo labori & ftudio tantum debet chirurgia. Defcriptionem ejus addere juvenit

Methodus Woolhoufiana.

Collocari debet æger in fella minori ita ut deorfum & caput vel crepidine vel famulo robuftiore fuftineatur. Oculus fanus, collyrio quodam impofito, deligari folet. Reclinato capite, fectio inftituitur, quæ vero ita dirigitur, ne cutis & tendinea mufculi orbicularis pars lædatur; fit hæc fcalpello leviter falcato *i*), vel myrtiformi *k*), ut femicirculum defcribat, cujus principium fit in radice nafi juxta proceffum quo offibus narium coronale jungitur, continuatur per medium fiftulæ tumorem, ut pars convexa nares, concava vero orbitam refpiciat, terminatur juxta radicem palpebræ inferioris, hujufque circiter medium. In ipfa fectione inftrumentum paulo fortius adigendum eft, ut ftatim ad os ufque pertingat; poft hæc fcalpello obtufo vulnus

h) In Differtatione *de fiftula lacrym.* §. XXII. pag. 30.
i) In *Diff. citat.* fig. 4.
k) Vid. GARENGEOT. *Nouveau Traité des inftruments* Tom. II. p. 11. & in *Differt.* PLATNERI fig. V. fed juxta opinionem noftram idem eft, rectus fit fcalpellus, an falcatus, ftet medicus an fedeat.

dilatatur, & perioftium a fubjacente offe removetur; fi autem fanguinis præfufio grandis eft, in craftinum differtur cura, fi non, ftatim os unguis perterebrari, & novus canalis non folum formari, fed & fervari debet. Perforatur optime fpecillo fulcato, & quidem ita ut & orbitæ & radicis narium ratio habeatur; quod fi penetraverit, paululum rotetur, ut apertura, quantum fieri poteft, rotunda fiat. Operatione facta, in eo verfatur omnis cura, ut foramen novum fervetur apertum, atque huic callus circumducatur: ergo ad expurgandum vulnus ab offium fquamulis, turunda quam primum immitti debet, ne rurfus claudatur foramen. Poftquam autem vulnus ab inquinamentis purgatum eft, illud agendum, ut nova lacrymis paretur via. In hunc finem excogitavit ill. WOOLHOUSIUS fiftulas minores, ex auro, argento aut plumbo fabrefactas, ut autem duplices fint, requiritur: Oram habeat altera *l*) oportet, pro formando callo, polita vero fit altera *m*), qua ita arcte foramen impleri debet, ut in offe remanere, & crefcente carne, cicatrice occludi poffit.

Hanc novam opinionem fummo plaufu profecuti funt, affeclæ innumeri; ut illa de ANELII gloria & exiftimatione non parum detraheret: in ea tamen corrigenda inpofterum defudaverunt. Totius enim laboris propofitum erat, novum lacrymis parare iter, illudque apertum fervare: cumque practicorum defideria fæpe non explerentur, hinc, ne fubfiftendo, putrefierent lacrymæ novamque fiftulam generarent, totius facci lacrymalis extirpationem PLATNERUS *n*) commendat. In eo enim omnes, qui de fiftula lacrymali egerunt, auctores hactenus erraffe obfervavit, quod quidem fuaferint pertu-

l) Vid. *Differt. cit.* fig. 8.
m) In *allegat. Diff.* fig. 9. & in HENKELII *chirurgifche Operationen*, 2 *Stück.* fig. XIII.
n) In *Differt. cit.* §. XXIII. pag. 32.

pertusionem ossis, sacci autem lacrymalis extirpationem plane neglexerint. Evellitur vero superior ejus portio, incisione transversim facta, eo in loco, quo meatus lacrymales in eam terminantur. An autem de sacci extirpatione idem judicium sit ferendum, quod alio loco *o)* de adustione in carie ossis unguis ferri vidimus, nostrum non est decidere; cum PLATNERI merita in reliquis ejus scriptis extollere, extra cum vires, tum scopum egrediatur.

At vero, si hanc methodum exercere velis, quæ instrumenta requiruntur, quo loco perforandum, hic lis practicorum plurima. In usum traxit, ut antea monui, cel. WOOLHOUSIUS, specillum sulcatum *p)*, (*sonde creuse*) cujus latera & cuspis paululum cultellata sunt. Alii confidunt instrumento, singulari ad hunc usum accommodato *q)*, Gallis *poussoir* dicto; trepano acuto alii; confugiunt hi ad subulam *r)*, dum isti ad triquetram apice incurvatam *s)*, aut forcipem *t)* perfugiunt. Ut ill. MONROO *u)*, sic nobis valde arridet acus triquetra, Gallis *trocart*, medie crassitiei, talis nempe, qualis ad celebrandam abdominis paracentesin adhibetur.

Adsunt præterea in ossis unguis perforatione nonnullæ variationes *x)*, quas tamen hic consulto prætermittam; lo-

o) Ibidem §. XXV. pag. 34.
p) In *Dissert. cit.* fig. 7.
q) In *allegata Diss.* fig. 6.
r) Vid. *Diss.* cel. SCHOBINGERI §. 18.
s) Vid. HEUERMANS *vornehmste chirurgische Operationen* p. 667. & SAM. SHARP. *Treatise on the operations of Surgery*, Pl. II. fig. D. & cl. POTT. p. 65. *for my own part*, ait, *I have always used the curved trocar.*
t) *Mémoires de l'Académie des Sc.* Tab. 23. année 1729.
u) *Medical essays and observations*, Vol. III. No. XV. pag. 275.
x) Singularem ejusmodi operandi modum retulit cel. HEISTERUS in sua *Chirurgia* pag. 548. §. XXI. Quod nempe aliquis chirurgus Hamburgensis peculiari excogitato instrumento, uno ictu, & inte-

cum in quo applicari debet inſtrumentum, potiori jure determinaturus, neque enim parvi momenti ſunt hujus indicationis ſequelæ; ſi enim non demiſſe ſatis perforationem inſtituis, ſtagnant lacrymæ, corrumpuntur, & novam producunt lacrymationem. Si extrorſum magis acum triquetram dirigis, metuendum eſt, ne lædatur oſſis maxillaris proceſſus *y*), & in antrum HIGHMORI deſcendatur; nec diſpar cautio adhiberi debet in iis qui adunco naſo gaudent, & quibus ſeptum ejus ad alterutrum latus magis inclinatum eſt. Dirigatur ergo inſtrumentum ita oportet, ut ſi perpendicularem inter & horizontalem lineam animo effingas mediam, hanc non plane deſcribat, verum ad perpendicularem paulo magis inclinet, tali fere modo, ut cel. MONROO in ſuis ſcriptis indicavit *z*). Ita enim fit, ut terebrando leniterque premendo inter oſſa turbinata, lacrymis iter aperiatur. Quid autem præſtandum, ſi naturæ luſu oſſa deficiant lacrymalia? Rarus quidem eventus, interdum tamen obſervatur; ſi cel. METZGERI ſcriptis fides *a*). Narrat ille, in totum defuiſſe oſſa lacrymalia, hiatum vero a maxillaribus oſſibus repletum fuiſſe; narrat etiam oſſa ab ungue denominata haud defuiſſe quidem, verum ita retrorſum verſus orbitæ fundum fuiſſe retracta, ut nulla inſerviret eorum pars formando canali naſali, qui totus in prægmagnis oſſium maxillarium apophyſibus inſculpebatur. Mihi etiam ablata eſt occaſio comparandi calvariam, in qua deeſt, in uno latere, os unguis, in cujus locum pars plana oſſis ethmoidei eſt adeo producta, ut apo-

gumenta, & ſaccum, & unguiforme os pertuderit. Figura inſtrumenti non abſimilis eſt ab illa, quam exhibet tab. XVI. fig. 24.

y) Cel. SHARP. pag. 180. his verbis loquitur: *When the fiſtula requires perforation, the perforator is not to be carried down the Ductus ad naſum, for fear of boring into the ſinus Maxillaris, but more internally towards the Noſe.*

z) In *medical eſſ. and obſerv.* Vol. III. Tab. III. f. 1.

a) In libro cui titulus: *Curationum chirurg. fiſtulæ lacrymalis hiſt. crit.* Monaſt. 1772. pag. 66.

physi ossis maxillaris annectatur, fossam lacrymalem formet, atque interstitium omne repleat. Quae si praesagiat chirurgus, ob fortiorem paululum resistentiam, satius erit paulo retrorsum reclinare triquetram, & sic perforationis opus aliorsum tentare. De caetero illud praeprimis cavendum, ne confringatur os, quod malum dira sequuntur symptomata, quae ruunt vix non omnia in summum aegri detrimentum.

Neque vero in his consistebat medentium labor, sed ut apertum servaretur foramen artefactum, omnia artis conamina intendebant. Siquidem perforatione feliciter peracta, saepissime apertura explebatur, carne sive paulo post operationem, sive elapsis quibusdam septimanis superveniente. Ad evitandum illud infortunium, cannulas invenit, ut superius jamjam monui cel. WOOLHOUSIUS, quae, nisi mala fortuna erumperent, ob percussionem validam *b*), aut sternutationem *c*), in novo canali retinerentur. Harum in vicem substituebant nonnulli cereolum, Gallis *bougie*, quemadmodum ill. viris LAMORIERIO *d*), GUERINO *e*), aliisque mos erat. Nonnulli bacillo ligneo utebantur, ut YVESIUS *f*), atque cl. ACRELIUS *g*). Multi turundas anteponebant, sicuti LE DRANIUS *h*), MONROUS *i*), nec non

b) Insigne ejusmodi exemplum posteritati tradidit in suo libro cel. ACREL pag. 151. n. 7. Puella nempe fistula laborans, & methodo Woolhousiana feliciter curata, tertio post operationem anno, vecturae motu adeo conquassata fuit, ut aurea cannula moveretur e loco, atque in lacrymalem saccum retroire cogeretur. Saccus denuo aperiebatur, & exempta cannula, vulnereque rite purgato, alia obtrudebatur paulo crassior, quae intra hebdomadis spatium cicatrice obvolvebatur.

c) *Mémoires de l'Académie de Chirurgie* Tom. II. pag. 205.

d) *Mémoir. de l'Acad. des Scienc.* année 1729.

e) *Lib. citat.* pag. 154.

f) Vid. *Dissertat.* cel. SCHOBINGERI l. cit.

g) In *libro saepe citato* pag. 152.

h) In *oper. suo* pag. 477.

i) In *Medic. ess. and observ.* pag. 271.

cl. BERTRANDI, in quarum applicatione tamdiu perſeverabant, donec novæ aperturæ callus induceretur.

Cui autem bono tot peregrinorum corporum uſus, ſi ſolis injectionibus cura abſolvi poſſit? In oſſis perforatione non tam cito reſtituitur ſubſtantia oſſea, quam illud fieri quivis exiſtimaret k), ipſa præterea curæ diuturnitas & incertus eventus in ipſam SCHNEIDERI membranam poteſt refundi; quæ cum ab oſſe ſecedat, teſte LE DRANIO l), & ſi inſtrumentis acutis pertuſa; quid tum obtuſa corpora in uſum tracta præſtabunt? Cui præterea ignotum quam variis mutationibus obnoxia ſit hæcce membrana? nonne, monente PETITO, catameniorum aut hæmorrhoidum tempore turget cruore, atque intumeſcit? quis tunc novi foraminis obſtructionem mirabitur? quis cum variis auctoribus ſtupebit, ſi morbi recidiva elapſo menſe, ſi verno vel autumnali tempore præter ſpem eveniat?

Abſtineat ergo quivis ab hac incerta methodo, neque illam, niſi in ſumma neceſſitate adhibeat; quando nempe canalis naſalis oſſea pars, ab ozœna, carie, ictu, exoſtoſi, concreta vel corrupta nullis remediis domari potuit; tumque variis caſtigatam correctionibus in uſum trahat. Novi quidem illam ab excellentiſſimis viris, non ſine fructu, ut ajunt, uſurpatam; inter quos cel. PLATNERUM, LE DRANIUM, LOUIS, FOUBERTUM, VERDIERIUM, HEISTERUM, ACRELIUM, HENKELIUMque nominare liceat; quidquid tamen contigerit, mitioribus antea utendum dictat ſana ratio, & mitior ægrotantium dolor. Oſſa licet caries, quod

k) Conf. cel. POTT. de *fiſtula lacrymali opus pag. 64. I am*, ait, *inclined to think, that it never is filled up again by bone, but that when il is cloſed, it is be the membrane.*

l) *Traité des opèrations de chirurgie pag. 476. La membrane pituitaire*, ait, *ne ſe perce pas facilement au moment, qu'on briſe l'os unguis, & elle peut ſe détacher des os plus loin meme que l'os unguis.*

non ita frequens *m*), deturparet; prius enim ſuaderem medicamentis, quibus in apophyſis naſalis oſſis maxillaris corruptione utimur, illorum exfoliationem promovere; & cum PETRO DE MARCHETTIS *n*), VERDIERIO atque cel. POTTIO *o*), læſam partem radere antea, & naturæ viribus aliquantulum permittere, quam primo fiſtulæ lacrymalis intuitu, oſſis terebrationem plane neceſſariam eſſe in animum inducerem.

Tulit omnium methodorum fatum Woolhouſiana methodus, ipſaque correctionibus multis emendabatur. Sic remanentes poſt operationem cannulas evitare dum conabantur multi; non pauci, ut novi foraminis coalitum averterent, omnem ingenii & artis vim intendebant. Inde ſurrexerunt novæ agendi rationes, quarum prima IVESIO uſitata ordine ſequitur.

Methodus Yveſii.

Duas quaſi methodos in uſum quidem traxit cel. Auctor, quarum alteram *p*), incipiente praxi, alteram autem ultimis vitæ temporibus exercuit: hanc laudibus extulit potius cel. SCHOBINGERUS *q*) Quod primam attinet, paucis hic verbis attingendam. Inter veterum & ANELII curationem medium

m) PERCIVAL POTT in libro, tot. citato, ait. pag. 26 *I believe that a caries of the bones will very ſeldom be.*

n) In *obſervation. med. chirurg. rariorum Sylloge* pag. 36. „ obſervandum tamen, ait non eſſe perforandum os niſi præſente „ maxima ejus corruptione, ſola ſiquidem ejus ſuperficie corrupta aut alterata, ſat fuerit partem læſam abradere. "

o) *Lib.cit. pag.* 59.

p) Hanc deſcripſit ipſe auctor in libro ſuo, cui titulus: *Nouveau Traité des maladies des Yeux par* DE SAINT-YVES, Par. 1722. Chap. II. pag. 67.

q) In egregia Diſſertat. de *Fiſtula lacrym.* Baſil. 1730 defenſa, §. XVIII. pag. 23.

quaſi tenere videtur; namque in fiſtula non aperta injectiones per puncta lacrymalia immitti jubet, ſique pus paucis in diebus bonæ notæ non fundat, tunc ſtatim ut incidatur ſaccus, auctor eſt, per hanc aperturam denique abſtergatur fiſtula, atque ſi os carioſum non eſt, injectiones ad integram curationem adhibeantur; ſi ſecus, tunc cauterio actuali utendum arbitrabatur.

Sic ſe habebat ultima auctoris encheireſis: cutis leviter, ut in phlebotomia, tenſa, una cum ſacco lacrymali, inflicto per lanceolam aliquo vulnere a palpebris verſus muſculi orbicularis tendinem vergente, pertunditur, hoc vulnus immiſſo ſpongiæ compreſſæ fruſtulo dilatatur, primoque die ſuperimpoſito emplaſtro munitur; altero die apparatu remoto, vulneris & ſubjacentis oſſis unguis ſtatus ſpecillo & injectione exploratur. Poſtea chirurgus una manu ægri caput ſuſtentat, altera autem ſpecillo fortiori vel inſtrumento quodam tricuſpidali, a Gallis *troiscart* vocato, os unguis caute perforat. Cavendum vero, ne oſſis unguis loco pertundatur os planum, vel fruſtra oſſis maxillaris apophyſin impingat, ſed oblique inſtrumentum ita dirigat, ut inter utrumque laminam ſpongioſam naſi medium obtineat locum. Sic perforato unguis oſſe, chirurgus ægri nares cohibet, illumque ſpiritum ducere jubet, ut perſpiciat, an recte inſtituta ſit operatio, nec ne? Liberam nunc ſervare aperturam ſtudet operator, immiſſo hinc in vulnus fruſtulo ligneo cuneiformi, factam aperturam parum dilatat & emplaſtro impoſito vulnus hoc ipſo die operationis ſibi relinquit, ſequentibus diebus eamdem dilatationem molitur per turundas ex linteo cera imbuto conflatas, quas tertio vel quarto die mutat, craſſiores ſenſim adhibendo, calami ſcriptorii craſſitiem, referre debet omnium craſſiſſima; deinde in eadem proportione iterum retrogreditur: & his mediantibus turundis libera novaque paratur lacrymis via. Purgato ergo vulnere, abſtinetur a turundarum uſu, & plane omittitur, ſoloque emplaſtro vul-

neris consolidatio promovetur, quæ intra paucos dies absolvitur.

Omni sane admiratione digna est hæcce correctio, neque quo fato 'St. Yvesii gloria quemdam imminutionis labem contraxerit, rimari possum. In Woolhousii methodum jure merito cadunt cel. Schobingeri animadversiones, atque sincera dubia; sique exceperis frustulum ligneum & in plumbeum mutaveris, quanta est inter hanc & recentiorum methodum discrepantia? Annon recte a cannulis remanentibus abhorret? præclariorne est injectionum methodus, si sit æqua virtus? quidquod operatio caute satis, idoneisque instrumentis instituitur, ut quid sit in hac incusandum infirmandumque vix reperiam.

Quod idem affirmari nequit de sequenti, quam annorum series attulit, quæque appellatur

Methodus Lamorieri.

Huic chirurgorum Gallo videbantur instrumenta hucusque ad ossis perforationem inventa, ejusdem ossis parti evertendæ minime sufficere: quapropter hunc in finem excogitavit forcipem incurvato præditam rostro *r*), qua pro lubitu dilatata, omnem substantiam osseam cum disrumpere, tum auferre poterat. De cætero parum aut nihil omnino ab antecedentibus methodis discrepat Lamorieriana; ergo quod diversum est, solummodo delibabo, in hoc propriis auctoris verbis usurus *s*): *Sans avoir le soin*, ait, *d'assujettir ni le grand ni le petit angle de l'œil, je porte un bistouri droit, une ligne au-dessus de la fistule lacrymale: j'encise, en croisant, vers le bord inférieur de l'orbite, & l'enfonce sans beaucoup ménager ni la peau ni le muscule de cette partie jusques*

r) *Mém. de l'Acad. des Scienc.* année 1729. tab. 23. & Heisteri *Institut. chirurg.* Tab. XVI. fig. 39. 40.

s) Ibidem.

ſur l'os unguis, que je découvre d'abord, & ſur le champ j'introduis des peincettes pointues & recourbées vers leur pointe, dont la convexité doit regarder l'œil, & la concavité le dos du nez. J'enfonce l'os unguis, en portant la main vers l'œil, afin que la pointe de l'inſtrument ne bleſſe point ſon globe, & qu'elle ſoit dirigée vers la narine, & en pénetre la cavité; j'ouvre les branches qui en font ouvrir en même temps les pointes qui, faiſant fonction de dilatatoire, briſent l'os unguis & déchirent la membrane pituitaire, qui le tapiſſe au-dedans du nez. On connoît que l'os eſt briſé & que la membrane pituitaire eſt déchirée par la réſiſtence que l'on a ſentie, par le bruit que l'on a entendu, & par le ſang qui ſort par les narines.

Quis non ſtatim arbitrabitur mecum, incertum ejusmodi operandi genus eſſe plane rejiciendum? primo enim nunquam accurate locum determinare poteris, in quo os fractum fuerit, num ſuperiora num inferiora verſus læſio fuerit protracta: neque vero forcipis laminam ita regere poteſt chirurgi manus, ut, quam propoſuit, hanc aperiendo partem deſtruat. Do tamen peractam ex votis operationem; ſi magno ſatis foramine terebratum ſit os, quid tum membranæ Schneiderianæ contigit? Facta eſt hoc inſtrumento ipſius dilatatio potius, quam dilaceratio; quodſi tamen apertum ſervare foramen intendis, quemadmodum neceſſe eſt; inflammabuntur nihilominus lacera vulneris labia, & a producta inflammatione coibunt. Illud idem cel. Auctor jamjam annotaverat: *L'ouverture ainſi pratiquée*, ait, *ſeroit bientôt bouchée par le gonflement des chaires & des membranes, ſi on ne prenoit la précaution de la tenir dilatée.* Quod ut fieret cereolum ſuaſit adhibendum, paululum incurvatum, lineæ craſſitiem in circumferentia habentem, huncque in novam viam intromittendum auctor fuit; cæterum & turundarum & aliorum quorumvis corporum uſum improbat. Verum hæc intromiſſio ſtatim poſt operationem adeo difficilis eſt, ut ſit extra operantis poteſtatem. Propterea auctor adjungere conſultum duxit.

duxit: *Il ne faut l'introduire que vers le troisieme ou quatrieme jour, & même s'il étoit survenu un peu de tension vers le huitieme* An autem tunc temporis obstacula queant absque nova irritatione superari, vix possibile credimus. Relicta igitur hac methodo, ad simpliciorem procedendi modum pedem promovebimus.

Methodus Hunauldiana.

Illa quidem tanquam nova minime habenda est, cum neque in instrumentorum apparatu, neque in operandi modo quidpiam novum addiderit illius cel. Auctor. Cum autem vix minori laude dignus sit emendator, alicujus methodi, quam illius inventor. Hanc igitur, quatenus Woolhousianæ correctionem, paucis juxta seriem temporis perstringere liceat.

Omnia remedia, ut liberum ad nares iter conservarent, hucusque in usum tracta, plane contrarium effectum præstitisse, atque tanquam lacrymationis oculi caussam proximam ducenda esse, existimavit cl. HUNAULDIUS *t*). Comprimunt enim fortiter, juxta ipsum: cumque ab oculi ductulis fluidum omne arceant mensium spatio, hinc nocent magis quam proficiunt. Eas itaque refutat methodos, quibus tentant, turundarum, cereolorum aliorumque corporum, insitione, apertum servare canalem; his potius obliterare saccum, occalescere canales, obortaque inflammatione & suppuratione coalescere contendit. Securissimum ergo arbitratur, ad obtinendam novæ viæ libertatem, nullum adhibere peregrinum corpus, sed solo respirationis officio aërisque transitu utendum suadet, ita ut miscere sese lacrymis atque per foramen novum & puncta lacrymalia fluidum æthereum penetrare possit. Nimirum siphonem repræsentant viæ lacrymales *u*), cujus breve crus bipartitum omne fluidum ex-

t) Vid. *Philosophical transactions*, Vol. XXXIX. *for the Year* 1735. pag. 45.

u) Valde miratur ill. Auctor, illud ante se observasse neminem,

ſorbet in oculo collectum, atque ad nares amandat. Aër præterea ſine mora ad penetrandos canales omnes cum trachea communicantes pronus, quemadmodum ſublata per inſpirationem reſiſtentia, proprio pondere, labitur in pulmones, oris & narium viam inſiſtendo, ſic puncta lacrymalia permeando, tracheam pariter ſubibit; neceſſe autem eſt ducat ſecum humiditatem in his viis contentam, atque huic ſeſe admiſceat. Atqui in omni chirurgia quoties experientia compertum eſt, impoſſibilem eſſe earum partium coalitum, per quas tranſit continuo aër, aut ex quibus humor perpetuo plorat! hinc morbi noſtri curam in ſola oſſis unguis perforatione conſiſtere concludit, de cætero parum ſolicitus, ſi novum & artificiale iter ſolo deſcenſu lacrymarum aërisque decurſu apertum teneatur.

Neque vero metuendum, ne reſurgentibus ſenſim partibus obturetur. Namque, juxta ipſum, fieri nequit, ut oſſa planum atque maxillare, deſtructam inter operandum partem oſſeam producant rurſus, aut perioſteum, ſaccus lacrymalis, vel membrana pituitaria factam reſarciant jacturam, qua novus canalis occludi queat. Nihil ergo efficiendum reſtat, quam perforatum locum purgare medicamentis, curamque prædicto modo abſolvere.

In dubium quidem cl. HUNAULDII de aëre axioma, phyſiologicis argumentis innixum, revocare nolumus; at illud in caſu noſtro adhiberi poſſe, vix arbitramur. Enimvero aër non niſi ſummo niſu clauſiſque naribus per vias lacrymales protruditur; non ergo ita libere it reditque, ac per auctoris ideam fieri debuiſſet. Neceſſe quidem eſt, neque id

cum tamen res adeo manifeſta ſit & partium ſtructuræ accommodata. In contentionem hic poni poſſet, quis hujus ideæ inventor cenſeri debeat, cum eodem fere tempore & HUNAULDIUS & PETITUS cogitationes ſuas in lucem ediderint. Sed cum de alterutrius fama aut exiſtimatione quidpiam detrahere non ſit animus, hanc quæſtionem in medio relinquam.

absque commodo, ut singula vulneris deligatione, monente cel. PETITO, per plagæ hiatum transeat: immo huic necessitati innixus est cl. LOUIS, in incipiente fistula auctor fuit, ut solis interdum fumigationibus sanaretur *x*). *Je suis surpris*, ait, *que personne n'ait tenté les fumigations vulnéraires & balsamiques, par leur moyen, on pourroit, dans quelques cas, déterger les voies lacrymales, & en dessécher les légeres ulcérations.* Dederunt huic theoriæ occasionem illi qui tabaci fumum hauriunt e fistula, clausisque naso & ore per puncta lacrymalia transpellunt: fit autem illud certa vi, ac proinde contra fluidi aërei illac itus redditusque facilitatem militat.

Quoad ea, quæ adversus ossis reparationem affirmat cl. HANAULDIUS, ab ejus opinione non abhorremus; quidquid auctores de foraminis coalitu conquerantur. In hoc enim membranæ pituitariæ intumescentiam potius incusandam existimamus, quam osseam substantiam; cum unguis ossa omni fere diploëtica substantia privata sint.

Hic desinet Woolhousianæ methodi variationum enumeratio: quod in ea ab ill. viris HEISTERO *y*), PLATNERO *z*), LE DRANIO *a*), VILLARSIO *b*), SHARPIO *c*), POTTIO *d*) aliisque emendatum, locis idoneis recensuimus; quæ prætermissa, quatenus levis momenti, negligenda sunt.

Ergo ad aliam propero fistulæ lacrymalis epocham, in qua prædictum medendi genus, tantam a sedula PETITI industria mutationem accepit, ut annis proxime sequentibus non nisi in carie ossis unguis, aut tota sacci lacrymalis de-

x) *Mémoires de l'Académ. de Chirurgie* Tom. II. pag. 211.
y) In *operation. chirurg.* Tom. I. Cap. LIV. Part. 11. Sect. 11. pag. 532.
z) In *Instit. chirurg. rational.* §. 975. pag. 548.
a) *Traité des opérations de chirurgie* pag. 306.
b) *Traité de chirurgie* Tom. IV. pag. 320.
c) *Treatise on the operations of Surgery* Chap. XXX. pag. 180. edit. V.
d) In *Libro cit.* pag. 65. edit. 2.

ſtructione adhibitum fuerit: In eo nunc verſabantur omnes, ut iter lacrymis a natura apertum rurſus in priorem ſtatum reſtituerent Sic evulgata ſiphonis idea, & lacrymarum reſorptione hydraulicis legibus demonſtrata, lubuit ingenioſas quidem, ſed valde ineptas methodos plurimas animo effingere; quarum omnium ſtirps, ut ita dicam, haberi poteſt

Methodus cel. Ludovici Petiti.

Pour déboucher ce ſyphon, ait cel. auctor e), *je fais une inciſion au ſac lacrymal, j'y introduis une ſonde canelée f), je la pouſſe juſques dans la narine, & par ce moyen je débouche le canal. La canelure ou gouttiere de cette ſonde me ſert à conduire dans la voie, qu'elle vient de retracer, une bougie g), avec laquelle je tiens ce canal ouvert, je change tous les jours cette bougie, j'en ceſſe l'uſage, quand je crois, que la ſurface interne du canal eſt bien cicatriſée, alors les larmes reprennent leur cours naturel de l'œil dans le nez, & la plaie extérieure ſe réunit en deux ou trois jours.* Hæc ſunt ipſa Petiti verba, ex quibus de toto procedendi modo potes uno momento facere judicium. Illa autem confer cum Stahlii verbis ſuperius recenſitis, neque parum miraberis Petitum ſuis verbis Stahlii methodum expreſſiſſe. Summopere quidem tum quoad inſtrumenta tum quoad mentem diſcrepant: quod ille præterea pro parte invenit, in hac methodo, quæ ſtructuræ partium morbique ideam adæquatam complectitur, totum reperies. Quoad mentem diſcrepare dicebam; mentem enimvero Petiti ſi reſpicis, hic poſt detectum ſiphonis mechaniſmum, cujus inventionis gloriam ſibi attribuit, ſaccum reſtaurare in integrum, & naturalem

e) *Mémoires de l'Academie des Sciences* année 1734. Pag. 145. & in *libro poſthumo* pag. 304.

f) *In libro poſthumo mox citato* Pl. XVIII. fig. 4.

g) Planche XVIII. fig. 5. 6.

lacrymis viam referare potius exiſtimavit, quam ulcus duntaxat extergere, quæ STAHLII reſorptionis mechaniſmum neſcientis ſententia fuit. Inſtrumenta quod attinet, in principio utebatur ill. auctor ſpecillo ſulcato, quo canalis naſalis obſtructionem auferebat, dein juxta ſulci directionem intrudebat cereolum, quo aperturæ hiatum tutaretur. Poſtea vero mutavit hanc encheireſin & in eumdem finem ſcalpello ſulco inſtructo uti ſolebat. Unicuique autem oculo, monentibus clariſſ BORDENAVE *h)* & LESNO *i)*, ſuus ſcalpellus reſervabatur. Fugit hæcce mutatio PETITI adverſarios, inter quos præprimis ill. MOLINELLIUM nominare liceat *k)*, qui valde militavit adverſus ſpecilli intromiſſionem, quam in callis, aut obliqua directione ſacci impoſſibilem ducit. Strenue cæterum, neque invidia ductus, ut eruditos decet, ſcrutatus eſt omnia, vituperavit quædam, nonnullaque correxit, quæ autem, jubente Pariſinorum chirurgorum academia, ab ill. BORDENAVE ingenioſis plauſibilibuſque argumentis ex parte refutata ſunt *l)*.

Ad inciſionem præprimis in hac operatione attendendum, quot enim quamque dira ſymptomata ipſam prave inſtitutam ſequi ſoleant, ut oculi deformitates, ectropium, epiphora, triſtis experientia ſæpiſſime docuit. Hujus mali cauſam ponunt multi in tendinis muſculi orbicularis palpebrarum diſſectione; alii in palpebrarum commiſſuræ læſionem refundunt. Nihil tamen a tendinis diſſectione metuendum eſſe, illumque, ſi morbi ratio poſtulet, audacter ſecandum

h) *Mém. de l'Acad. de chirurg.* Tom. II pag. 170.
i) *In opere poſthumo* PETITI pag. 305. not. a.
k) In *Commentar. Bonon.* Tom. II. part. 1. pag. 161.
l) In *Mémoire de l'Académie de chirurgie* Tom. II. pag. 161. ſub titulo: *Examen des Réflexions critiques de M. Molinelli, inſérées dans les Mémoires de l'inſtitut de Bologne, contre le memoire de M. Petit, ſur la fiſtule lacrymale, inſéré parmi ceux de l'Academie royale des Sciences de Paris* Année 1734. *Par M.* BORDENAVE.

affirmant auctores plurimi. Quidquod jubet illud ill. MONROO *m*); quin rem abſque detrimento fieri poſſe cel. ARNAUD experimentis *n*), comprobatum eſt. Cave autem, dum inciſionem ſupra tendinem inſtituis, monente YVESIO, ne vaſa angularia lædas: quamquam enim periculum hæc læſio non afferat, oritur tamen hæmorrhagia moleſta ſatis, quæ nihilominus comprimendo *o*), poteſt compeſci; niſi operationem ulteriorem ad proximum diem protraxeris.

A deſtructa palpebrarum commiſſura potius repeti debent morbi prædicti; quemadmodum ill. viri SHARPIUS *p*), MONROUS *q*), POTTIUS *r*), aliique arbitrantur. *All that the ſurgeon*, ait hic ultimus, *nead obſerve, is to take car to keep the knife at a proper diſtance from the juncture of the palpebrae, to begin the inciſion a very little above a line drawn from that juncture toward the noſe, and to continue it downward.* Reformidaverunt jamjam veteres, ægilopis curam in ſe ſuſcipientes, has operationis ſequelas, huic vero non ſemper ſuccedentes; quid autem mirum priſcis temporibus, cum ignem in remedium adhibuerint?

Eos ut evitent in poſterum chirurgi, optimum erit, poſt ſelectum inciſionis locum, & tendini & cuti parcere. Semi-

m) In *Med. eſſ. and obſ. pag.* 270. expreſſis verbis ita loquitur: *In making this Opening, the tendon af the orbicular muſcle of the Eye-lid muſt be cut through.*

n) Vid. GARENGEOT *c. cit.* pag. 24.

o) An arteria, an vero vena ſit diſſecta, cl. GENDRON optime indicavit in *Libr. cit.* pag. 370. *ſi le ſang vient*, inquit, *de l'ouverture de la veine angulaire, on s'en rendra maitre en faiſant une compreſſion vers l'angle du coronal, au contraire, ſi le ſang eſt arteriel, l'on en fera une ſur l'os maxillaire à la partie inférieure de l'orbite.*

p) *In Libr. cit.* pag. 179. *In making*, ait, *rhis inciſion care muſt be had not to cut too near the joining of the Deformity of the ſucceeding ſcar.*

q) *In Libr. cit.* pag. 270.

r) *In l. c.* pag. 42.

lunaris quoque incisio secundum musculi orbicularis decursum & sacci situm videtur anteponenda; qui enim recta aut obliqua linea aperiunt illum, ne ob malam cicatricem deturpent oculum, in majori periculo versantur.

Jam vero incisione facta & reserata obstructione, quid præstabat cel. PETITUS? totius curæ cardo in eo vertitur, ut apertus servetur canalis & lacrymis via sua restituatur: hunc in finem cereolo utebatur ill. Auctor, qui autem juxta opinionem nostram videtur indicationi valde contrarius. Sit enim saccus ex quacunque causa vitiatus; non poterit hac ratione detergeri, quod tamen ad absolutam curationem requiritur; quin potius inducuntur sacci parietibus calli, & quia ductuli quoque comprimuntur hoc cereolo, lacrymæ ideo non derivantur ad nares, impeditur resorptio, ipsique obstructi nullo labore coalescunt. Do hæc omnia non fieri, do consolidari vulnus: semper metuendum nihilominus est, ne tonum amiserit saccus ob diuturnum ejusmodi usum, atque oculi lacrymatio remaneat.

Quo tempore methodum suam Gallis dispartiebatur PETITUS, eodem apud Anglos evulgabatur

Methodus Monroiana.

Adeo exilis est ambarum differentia, ut incertum plane sit, cui inventionis laudem attribuere debeamus. Si tamen ad omnes adspicimus circumstantias, hac prærogativa frui videtur Anglicana, ut sit cum majori cura conscripta, instrumentisque ad referandum lacrymis naturale iter aptioribus adornata s).

Propositum ab ANELIO curandi modum admittit cel. Auctor, si nempe in principio est fistula, aut urget sacci lacrymalis hydrops; atque ejusmodi morbos, injectionibus ex

s) Vid. *Medical Essays and observations, published by a Society in Edinburgh* vol. III. Obs. XV. pag. 262.

melle rosarum in aqua calcis vivæ soluto, adjecto spiritu vini aut aqua limaturæ martis, brevi dierum spatio sanasse sese affirmat. Quodsi hæc curatio minime sufficiat, & interior sacci pars spongiosa sit aut ulcerosa, hunc aperire jubet incisione; ne autem posterior sacci lamina lædatur, per punctum lacrymale immittit specillum, in modum cel. STAHLII, quocum cutis sursum elevatur; nunc sine respectu tendinis musculi orbicularis, sed parcendo juncturæ palpebrarum aperit saccum. Si autem illum reperiat fungosa carne adeo repletum, ut specillum ad nares protrudi nequeat; tum sequenti modo aperiendum auctor est *t*). *In the case*, inquit, *I think there is still no necessity of hurting the bones, in order to make a Passage for the Tears. What I would propose is, to push a small Shoemaker's Awl, or some such instrument, thro' the Middle of the fungus in to the nose, and then to keep this artificial Passage open, and to render it callous by a Tent or seton. In making the perforation, the Instrument must be held with its concavity towards the nose, and it must by thrust through slowly, and with no great force, the Surgeon changing its direction a little whenever he touches the Bone with its Point: when the Drops of Blood coming out of the Nose, shew the instrument to have perforated far enough, it is drawn back, and the Tent or seton must be immediately passed in the same Way.* Anteponit cel. Auctor setaceum, quod specilli, singulari flexura præditi & ad trium pollicum longitudinem extensi ope *u*) per factam viam traducitur, hoc ut suppuratio citius contingat, unguento digestivo illinit, & singulo de die mutatur, usque dum expurgatur saccus & callo quasi obducitur. Quod si hæc encheiresis adhiberi nequit, quia nimirum valde angustatur ductus, aut ossa plane concreverunt, tunc cel. Auctor perterebrandum suadet: vide autem quam caute! Instrumenta excogitata hucusque atque adhibita,

t) *Lib. cit.* pag. 272.
u) Vid. ejus delineationem in *Libr. cit.* Tab. 3. fig. 3.

adhibita, juxta ipſum; majorem operantur deſtructionem oſſis aut fracturam, quam opus eſt. Rejicit ergo omnia perforatoria obtuſa, forcipem Lamorieri, reliquaque, & proponit inſtrumentum aliud, (*trocar, drill or gimblet*) quod ita applicat. In ejus cannulam intromittit ſpecillum, quocum inferiorem oſſis unguis partem inquirit; affixa tunc cannula, retrahit ſtylum, & loco ejus acum triquetram introducit, atque os leni rotatione perterebrat x). Peracto hoc & retracto inſtrumento, per cannulam intrudit fruſtulum plumbeum, quod paucos dies remanendo, conſolidationem promovet. Sic a mitioribus ad validiora remedia cel. auctor deſcendebat.

Expoſtulabit forſan quispiam, quæ ſit noſtra hoc in caſu ſententia? major fiducia videtur nobis, ut ſincere loquamur, in ſetacei quam turundarum applicatione reponenda: nunquam enim certus es, an turunda ſatis alte penetraverit, an tetigerit ſacci fundum; unde obſtructio nova & parietum coalitus oriri rurſus poſſunt. Setaceum autem ſemel immiſſum, quotidie protrahitur, cumque tantum dolorem non afferat; hinc atroces inflammationes callosque inducere nequit. Merentur tamen ambæ methodi admirationem; ſecuriſſimum enim & expeditiſſimum eſt curare fiſtulas, aperiendo; ſic morbi ſtatum primo momento inquiris: ſic educis optime materiem purulentam; ſic varia ſymptomata nullo labore avertis aut evertis, quæ methodum Anelianam leniorem reſpuunt, duriorem autem Woolhouſianam minime expoſtulant.

Interdum tamen neceſſitate coacti ſumus ab hac methodo abſtinere, & in oſſis perforatione artis ponere perfugium: ut perhibebat ill. LE CATIUS, qui evulgatam ab ill. PETITO methodum eodem anno ſibi adſcribere conatus eſt y). Offe-

x) Perforationis locum valde accurate cel. Auctor determinavit *l. c.* Tab. III. fig. 1 & 2.

y) In *Mercure de France du mois de Decembre* 1734. Sic quo-

rebatur ei casus singularis, quem hic leviter attingam: *Des organes*, inquit, *ruinés, depuis quatorze à quinze ans, par deux opérations faites à l'ancienne méthode, ne me laissoient guère d'espérance de pouvoir employer ma méthode ordinaire de déboucher les conduits naturels.* Decrevit ergo artificialem lacrymis viam parare, nihil autem magis evitare studuit, quam recidivam, aut alia tristia symptomata experiri; cannulam igitur fabricari curavit, peculiari figura præditam: *Elle est composée*, inquit, *d'un entonnoir & d'une olive séparée par une gorge. L'entonnoir est placé dans le sac lacrymal; il est destiné à prendre les larmes, & à les porter dans les fosses nazales. L'olive est placée dans ces fosses, la gorge située entre deux est embrassée par le cloison du fond du sac lacrymal, & chacun des évasements qui est aux extrêmités de cette canule, fait qu'elle ne peut échapper de cette cloison ni vers le nez, ni vers l'œil.* Tum labia vulneris coire finit, ut cannula cicatrice obducatur. De hac methodo idem valet, quod de Woolhousiana prætuli; nisi tamen cannulæ formam exceperis, quæ ingeniose satis excogitata, WOOLHOUSII cannulæ anteponi posset, si in vulnere peregrinum corpus relinquere animus. De cætero, ut in omnibus aliis, sic in ista methodo, vulneri eadem curatio admovetur.

Obstructionum canalis nasalis, ut fistulam producentium, curationem injectionibus specillorumque per puncta lacrymalia applicatione ANELIUM, sacci autem lacrymalis incisione tentasse PETITUM atque MONROUM, satis distincte, ni fallor, exposuimus. Hanc eamdem curationem canalis nasalis via possibilem nobis sistit

que cl. KRONAUER in positione quinta, dissertationi *de tumore genitalium post partum sanguineo*, adnexa. Basileæ 1734. & cl. TILLOLOY in *Journ. de medecine* Tom. IV. Mens. Jun. 1756. hanc methodum, ut novam commendant, ejusque gloriam sibi vindicare conantur.

Methodus la Forestiana.

Cum Anelianam methodum chirurgi vota interdum non explere videret LA FORESTUS, Petitianam autem ob infligendum vulnus turundarumque insitionem reformidaret, aliam inivit viam, demonstravitque, experientia teste, fortiores quasque fistulas injectionum ope per viarum lacrymalium inferiorem aperturam debellari posse. Hujus quidem operandi modi inventionem sibi non vindicat; sed ill. LA FAYII propositione allectus z), (utrum nempe possibile esset per inferius orificium in saccum lacrymalem injicere liquores, idque in variis forte casibus anteponendum esset?) Rei possibilitatem evicit non modo, sed qua ratione operatio celebrari deberet, in commentario in actis parisinis chirurgorum inserto aperte nitideque descripsit *a*). Videtur quidem primus fuisse cl. BIANCHI, qui per hunc canalem injectiones fieri jusserit *b*), ipseque ALLOUEL in eo falso gloriari; verum quidquid sit, relinquamus hanc litem plane supervacaneam, & FORESTI methodum paulo accuratius exponamus. Hic dexterrimus vir per iterata experimenta in ca-

z) *In notis ad Dionisii opus* cui titulus: *Cours d'Operations de chirurgie* pag. 566. his verbis loquitur: *S'il étoit possible de faire des injections dans le canal nasal par son orifice inférieure qui est dans le nez, en se servant d'une petite seringue, dont le tuyau seroit tourné de manière qu'on pût le faire entrer dans cette petite ouverture, & si l'on s'accoutumoit à se servir de cette méthode, on la préféreroit peut-être aux autres en bien des cas.*

a) In Tom. II. pag. 175. & seq. cum inscriptione: *Nouvelle méthode de traiter les maladies du sac lacrymale nommées communément Fistules lacrymales par M.* DE LA FOREST.

b) Vid. *Epistolam* ad clar. LANZONI conscriptam, in MAGNETI *thesauro anatomico*, consignatam Tom. I. Libr. IV. & ex MORGAGNI *advers. anat.* VI. animadvers. LXVI. constat, veteres jam per orificium nasale injecisse liquores.

daveribus instituta convictus, operationem in expedito esse, hanc primo casu oblato; in vivis quoque tentare constituit: Excogitaverat instrumenta hunc in finem necessaria, specilla diversae crassitiei & longitudinis ad canalis diametrum accommodata *c*); aliud in apice instructum foramine, ad filum traducendum *d*), cannulas & specilla catheterum instar inflexa *e*), ac denique syringam tubulis incurvis, politis aut oram habentibus praeditam *f*), quorum omnium aegrotantis canali nasali admovendorum rationem ex ipso auctore desumptam tradere operae pretium est: *le malade*, inquit, *assis sur une chaise la tête à demi renversée, il faut porter la sonde dans le nez de haut en bas & de dedans en dehors, ensuite faire faire un demi-tour à la sonde comme pour sonder la vessie, en portant le bout de la sonde de bas en haut, & de-dehors en-dedans vers l'arcade que forme la coquille inférieure du nez, pour y chercher l'orifice inférieure du conduit nazal. L'on connoîtra que le bout de la sonde est dans ce conduit, lorsqu'elle n'aura plus de jeu sous la coquille, & qu'au contraire elle y sera arrêtée sans pouvoir vaciller g*). Leni tunc pressione specillum protrudit in saccum ipsum chirurgus, usque dum aut visu aut tactu illud eo pervenisse dignoscat: si autem ad obicem quemdam allisit, ut interdum evenire solet, tunc apta versione torquendoque obstaculum superatur.

Diversus quidem morbi status diversam instrumentorum applicationem requirit. Quod si enim tanta obstructio ductus nasalis adest, ut cannula quae valde flexilis, immitti nequeat, tunc utitur specillo quo obstruentem materiam detrudit, viamque aperit, tum autem specillum immissum, quorumdam dierum spatio inibi relinquitur, ut injectioni-

c) Memoires de l'Academ. de chirurg. Tom. II. Pl. XIII. fig. 5. 6.
d) Ibidem fig. 7.
e) In cit. tab. fig. 1. 2.
f) Fig. 9. 10. 11.
g) Vid. cit. Comment. pag. 189.

bus pateat viæ libertas; fiunt illæ vel mediante ſyringa vel cannulæ ope, quæ ſpecilla loco induƈta, uſque ad curationis finem in hoc loco retinetur. Si nulla ſit canalis naſalis obſtruƈtio, ſed tantummodo ulcus, tum ſpecilla adhibere non opus, ſolis ſiquidem injeƈtionibus per ſyringam immiſſis morbus debellatur. Accidit autem interdum ut liquor ob mucum nimis craſſum non alte ſatis propelli poſſit; quo in caſu, vias mediante leni cannulæ motu reſerandas auƈtor eſt ill. LA FORESTUS. Quin ſi ſaccus ſit apertus, ſi os carioſum vulnus non ſtatim infligere jubet, juxta morem conſuetum, ſed idoneis medicamentis ſub injeƈtionis forma adhibitis hæc mala ſanari poſſe aſſerit. Pariter ſi cutis lacerata, duƈtuſque ſit vitiatus, ſetacei uſum hoc modo ſuadet. Specillum foramine inſtruƈtum ita intromittitur, ut ſupra indicavi, tum ubi cernitur extrorſum, immittitur filum, quod retraƈto inſtrumento, in nares tranſgreditur. Morbus etiam a dilatatione aut relaxatione ſacci produƈtus optime ſanatur injeƈtionibus ex aqua vulneraria cum ſpiritu vini ſeu medicamentis adſtringentibus maritata, ſine ulla compreſſione, a qua valde abhorret auƈtor, quoniam hanc quatenus novæ obliterationis cauſam dijudicat.

Ingenioſiſſima hæc methodus eſſet profeƈto omnibus anteponenda, ſi tolli poſſent obſtacula, quæ inſtrumenta nulla ſinunt ratione admoveri. Quanta enim eſt ſtruƈturæ narium diſcrepantia! quam varius duƈtus naſalis ſitus, in illis præſertim quibus ſimus naſus! quam ſingularis interdum eſt conchæ inferioris poſitus & curvatura, quæ nonnullis in ſubjeƈtis adeo demiſſa reperitur, ut hanc inter & os maxillare vix adſit lineæ ſpatium! Canalis naſalis aditus, quam incertus! ipſa ejus diameter, quæ tamen ſpecilli craſſitiem determinare debet, quam dubia & inſtabilis! interea quoque naſi ſeptum ad alterutrum latus videbis adeo inclinatum, ut fraƈtura oſſium vel luxatio ſit abſolute inevitabilis. Illud tamen libenter concedam, prudentem chirurgum omnia præ-

dicta obſtacula cogitatione præcepiſſe, eaque manuum dexteritate & conſilio poſſe ſuperari; quid tunc, propter membranæ Schneiderianæ irritationem futurum putatis? illa ſiquidem propter irritabilitatem ſtimuli adeo impatiens, ut non ſolum ſternutamenta validiſſima evocare, verum etiam ad motus involuntarios ægrum cogere poſſit, quibus oſſa ſibi ipſi frangat. Quidquod inflammatio, præſertim ſi cannula in ductu relinquatur, uſque ad curationis finem, caput non poteſt non adoriri.

Deſcendo igitur in illuſtr. virorum LOUIS *h)* atque BERTRANDI *i)* ſententiam; neque ſatis mirari poſſum, quam ob cauſam hanc LA FORESTI methodum, tanquam ſecuriſſimum operandi modum, ſuis in demonſtrationibus anatomicis commendaverit ill. WALTHERUS, Profeſſor Berolinenſis primarius; cum tamen de præclara illius in anatomicis & phyſiologicis eruditione nemo dubitaverit. Aliud autem eſt in cadaveribus, ubi partes flaccidæ poſſunt cum alacritate quadam permeari, aliud in vivis, ubi turgent omnia, operationem noſtram inſtituere.

Callos & cicatrices neque injectionum neque ſpecillorum immiſſorum ope debellari poſſe diu perſuaſiſſimum habebat cl. MEJAN: quin inciſione peracta, viaque rurſus aperta, fruſtulum plumbeum aut turundam in ſaccum intromittere aſpernabatur, cum dolorem nimium procrearet, anteponebat ergo ſetacei uſum. Ut autem difficultates cum ejus uſura connexas ſuperaret, dum per incurvum ſpecillum e naribus extrahebatur, duo inſtrumenta excogitavit. Uncum ſcilicet obtuſum, minimum, quem per externam plagam ad nares usque immittebat, ut filum reciperet; ſtilum dein in apice diviſum, qui ab inferioribus ad ſuperiora verſus ſetaceum, retrahente unco, traderet. Hic porro procedendi mo-

h) Mémoir. de l'Acad. de Chir. Tom. II. p. 209.
i) Traité des Opérations de Chirurgie., pag. 317.

dus, quem exercuit, aliud nihil quam methodi a Petito, ſeu potius a Monroo propoſitæ correctio haberi debebat. Sed paulo poſt aliam animo effinxit, cui anſam dedere tum ſalutaris eventus, quem in ſetaceorum uſu obſervabat ill. chirurgus, tum deligationis facilitas. Etvero illud ſibi cogitatione finxit; annon poſſibile foret per punctum lacrymale ſuperius traducere filum atque per nares extrahere? annon illo mediante filamenta carpta, Gallis *méches*, iterum e cavitate narium ad ſaccum usque retrahi poſſent? Sic orta eſt nova

Methodus Cl. Mejan.

Intromittit ille, per punctum lacrymale ſuperius, ſtylum ſolidum *k*), politum, rectum, ſex aut ſeptem pollices longum, obtuſum in uno apice; in altero perforatum, ad recipiendum filum. Hic apex obtuſus, ubi ad nares pervenit, ſpecillo ſulcato excipitur, cui pariter in apice foramen; ſtatim ac enim perſentitur in naribus ſtylus, per ſulcatum ſpecillum extrorſum in nares inductum, extremitas ejus ſuperior aliquantulum elevatur, ut per hanc encheireſin in foramen ſibi deſtinatum intrare poſſit; tum ſpecillum leni motu trahit ad ſeſe chirurgus, usque dum ſtyli apex altius deſcendat: atque cum continendo acceſſit in contento quædam ſtabilitas, tum ſpecillum & ſtylus ſimultaneo egreſſu e naribus educuntur, ita ut filum in ipſorum locum ſuccedat. Huic filo annectitur altera die ſetaceum, medicamentis idoneis illitum, quod ſurſum trahitur rurſus usque dum mali cura abſolvatur.

Quidquid plauſibilis attulerit auctor, non poſſumus non ad irritabilitatem partium reſpicere, atque iteratam per puncta lacrymalia fili traductionem, quæ ſi ſacco ſimpliciter turgido adeo difficilis eſt, quas inflammationes, dilacerationes,

k) In *Mém. de Chirurgie*, T. II. Pl. XIV. fig. 1.

ulcera, vel quas relaxationes frequens ſetacei tractio ad minimum procreabit! Fas ſit igitur diſſentire ab auctore, ejusque methodum, ſi in quadam fiſtulæ ſpecie, in ea ſolummodo admittere, quæ ex metaſtaſi oriunda, ægritudinis initium facit, & in qua neque ſaccus neque canalis naſalis anguſtatur; quo in caſu incertum eſt, annon Aneliana methodus præſtaret idem, rectiusque faceret. Præterea dum ſetaceum requiritur, annon inciſio multo ſecurior, ut per hanc viam poſſit facilius transmitti? hæc paululum infra declarabimus.

Ex deſcriptis modo methodis inter ſe junctis orta eſt

Methodus Cl. Cabanis.

Admittit quidem injectiones per inferiorem canalis aperturam in modum LA FORESTI cel. Auctor, neque ſetacei applicationem a MEJANO propoſitam aſpernatur. Aſt quam proponit methodum, hanc in quatuor ſtadia dividit: Filum nempe per ſuperius lacrymale punctum introducit; extrahit illud per nares; huic filo ſetaceum variis medicamentis imbutum adnectit; tandemque in ductum naſalem per nares cannulam flexilem, ad injiciendum ſaccum intromittit. Quod ſtyli intromiſſionem attinet, idem præſtat, quod in antecedenti methodo indicavi, ut autem extractionem ejus faciliorem redderet, novum inſtrumentum ſingulari induſtria fabrefactum excogitavit *l*). Conſtat ex duabus laminis, longis circiter decem lineas, ſex vero latis, multis foraminibus inſtructis, quæ ſingulari mechaniſmo, manubriorum ope, ſupra ſe moveri poſſunt. Inducitur ad perpendiculum in narium cavitatem hoc inſtrumentum, ita ut foramina laminarum ſibi invicem directe reſpondeant, tuncque in horizontali ſitu ſic collocari debet, ut ſtylus per inferiorem viarum lacrymalium

l) In *Mém. tot. citat.* T. II. Pl. XIV. fig. 2.

crymalium aperturam exiens, in alterutrum foramen penetrare poſſit: quo facto, inſtrumentum varia laminarum motitatione, tandemque ſitu ab horizontali in perpendicularem mutato, una cum ſtylo educitur, filum ſecum trahens. Huic annectitur ſetaceum, atque modo ab ill. MEJANO deſcripto curatio de cætero abſolvitur.

Fit alias ut plurimam in injectionibus ſpem poſuerit chirurgus, eas quidem juxta LA FORESTI methodum inſtituere, ſuadet CABANISIUS, at vero ut devitarentur ſymptomata, quemadmodum conchæ inferioris fracturæ, læſiones membranæ pituitariæ, aut ejus inflammationes, cannulam excogitavit flexilem *m*), tenui membrana obductam, filoque ſericeo, quocum duæ ſimul anſæ deſcribuntur, circumvolutam; quam ut de ſetaceo perhibui, ſic eodem modo per inferiorem aperturam ad ſaccum uſque trahi jubet.

Qui ad internam narium ſtructuram attendit, quique in mentem revocat, quæ de variatione oſſium turbinatorum, habita ſitus atque curvatura ratione, adduxi, hic ſtatim periculi plenam horum inſtrumentorum applicationem mecum fatebitur. Illud idem jamjam obſervaverat clar. GUERINUS, vir eximia fide, & de incerto operationis ab ipſo auctore inſtitutæ *n*) eventu teſtis oculatus: hinc eum corrigendi conſilium cepit, & ſequens pagina illam exhibebit.

Methodus Cel. Guerin.

Quatuor in curatione ſtadia cum CABANISIO agnoſcit cl. GUERIN, nihilque in ſtylum immittendi modo corrigendum putavit: quoad ejus autem tranſitum & præſertim e naribus extractionem, leviuſculas mutationes adjecit. Sumit nempe ſtylum longum, flexilem, talem uno verbo, qualem MEJA-

m) Vid. in *Mémoir. de Chirurg.* Tom. II. Tab. XIV. fig. 3.
n) Vid. in *libr. cit.* pag. 119.

nus propoſuit; inducit illum per punctum lacrymale ſuperius, & ad dimidiam uſque ſui partem in nares protrudit: qui quidem hac protruſione in varios gyros circumvolvitur: tumque unco obtuſo per nares immiſſo, hunc extrahendum præcipit *o*). Valde ſecurior videretur lævis hæc variatio, ſi ab intruſione ſtyli nihil metuendum eſſet, aut ſi eam tunc temporis formam indueret, quam auctor animo effingit. Quando autem neceſſitas requirit ut aliqua protrudatur vi; quando penetrat in ipſam membranam, eaque obducitur; quando expandit ſeſe ſupra palati fornicem & ad fauces deſcendit, quis tum mediante unco poterit illum abſque Schneiderianæ membranæ læſione extrahere? adde quod operationis noſtræ proſpero exitui nihil videtur magis refragari, quam ipſa protuberantia, ab oſſe maxillari formata, ad quam vix non ſemper allidit ſtylus, quemadmodum ſæpe obſervavi, ita ut non niſi ſumma cum difficultate evitari poſſit.

Incommodis etiam ex fili itu redituque oriundis obviam eundem cenſuit ingenioſiſſimus auctor, quod ut præſtaret, ſetaceum ex filis ſex ſeu decem conflatum per punctum lacrymale ſemel traducendum præſcripſit. Sic enim averti poſſe deſtructionem ductuum lacrymalium, & aliud nihil quam eorum dilatationem fieri exiſtimabat; quæ dilatatio votis auctoris adeo reſpondet, ut laudibus uſum ejus non ſatis extollere queat; at vero tum reſorbentur, juxta ipſum, lacrymæ multo melius, & ad liquorum injectionem puncta lacrymalia multo aptiora redduntur.

Permulta adverſus hancce methodum offerre poſſem, quæ ipſius uſum, plane periculoſum, prohiberent; vetat autem ratio vel leviſſima proferre, cum eam nulli in uſum trahendam ſatis eluceſcat. Dubitat quidem nemo, quin laqueus ex multis filis conflatus partes in quas immittitur, non adeo ut filum unicum dilaceret; ſed prius eſt eo tradu-

o) In ſuo mox cit. libr. *Maladies des Yeux*, pag. 118.

cendus; an autem tubulus cartilagineus possit, juxta autoris opinionem, dilatari eo usque, non vero disrumpi, credat Judæus Appella, non ego.

Jamjam ergo ad aliam procedendi rationem descendamus, ab antecedentibus non multum absimilem, nostra tamen attentione dignam *p*): hæc illa est

Methodus Cel. Palucci.

Ponit hæc medendi ratio ambo puncta lacrymalia, vel saltem unum patere, nullum constantem esse tumorem, atque illum premendo evanescere. Tum hoc modo sese gerere debet juxta ill. PALUCCIUM operator, ut profliget obstructionem, atque naturalem lacrymis viam restituat. Blande comprimendus est saccus lacrymalis, ut collecti humores si adsint, per puncta lacrymalia exprimantur. Attollitur tunc ac parumper invertitur palpebra superior, ut punctum lacrymale in ipsa patulum se prodat. Dum una manu continetur palpebra, altera, servata viarum lacrymalium directione, per punctum lacrymale patulum aurea cannula inducitur *q*); hæc in se recipit stylum sive filum ex auro confectum, unde cannulæ firmitas augetur; immittitur blande ad nares usque, tumque extracto specillo, in locum ejus subditur chorda, valde subtilior iis, quæ pro fidibus adhibetur. Statim ac nares subiit, humectatur humore inibi contento, ac inflectitur; cumque est longe satis protrusa, vel per nares egreditur, vel descendit in palatum, vel sinuosa volumina versat Cum apparet extrorsum, apprehenditur digitis, volsella vel unco, cannulaque educitur: sin aliter, tunc extrahitur per fauces, & mediante alio filo per nares immisso atque per os retracto, sic retrorsum fer-

p) NATH. JOS. PALUCCI *Method. curandæ fistulæ lacrym.* Vindob. 1762. p. 77.

q) In *opere mox citato* Tab. 1. fig. 6.

tur, ut una extremitas per lacrymale punctum, altera autem inferius per narium viam exeat *r*). Procrastinatur nunc operatio; jam vero extremitati inferiori chordae annectitur filum sericum, cui turunda appensa est, ex duobus filis lineis conflata idoneisque illita medicamentis; tum tota per punctum lacrymale extrahitur chorda, ut locum sequenti filo praebeat. Turunda ad saccum traducta, relinquitur inibi ad duos dies, quibus effluxis, augetur, ipsamque, si opus est, suppurationem promovet: ea ratione curatio trium vel quatuor hebdomadarum spatio absolvitur; removetur itaque versus finem haec turunda, quae de die in diem addito filo increverat, filumque sericum nihilominus quosdam adhuc menses inibi asservatur.

Quodsi morbus eo usque invaluerit, ut saccus sit valde dilatatus, aut tumor vel abscessus aegrum urgeat, tunc debet alia ratione tractari. Idoneo igitur cultro tumor incidendus est *s*) saccusque aperiendus; illuc dein specillum sulcatum, donec ad nares perveniat, immittendum est, tumque per specilli sulcum cannula argentea stylo munita *t*), introducitur. Ablato stylo, ut in praecedenti methodo, sic chorda cannulae ope intruditur. In hoc solummodo ab ea differt, quod loco turundae penicillum appenditur, ex plurimis filamentis conflatum, filo serico, aut si gravior morbi status, aureo, sicque per plagam educitur.

Perpendamus tantisper hasce methodos, quarum primarius ille est scopus, ut absque inflicto vulnere, saccique incisione facta, fistulae per puncta lacrymalia, setaceorum ope, curentur. Quae tum cogitatio transvolabit animum? Has quidem ingeniose excogitatas, sed debere nunquam in usum trahi; aut si detur fortasse quamdam ex iis utilitatem perci-

r) Illud optime delineavit Auctor in Tab. II.

s) Incisionem instituí jubet valde magnam, & in ea directione, quam Tab. III. indicavit.

t) Vid. Tab. I. fig. 5. in *opere citato*.

pere, illud in hoc duntaxat casu fieri posse, in quo ductuli lacrymales claudi vel coalescere incipiunt, cum condensatus aliquantulum mucus traducto filo educi queat. Recurret autem statim animo methodus Aneliana, quæ & minus doloris & plus sanitatis parit. Præterea quanta sit in styli extractione juxta auctorum præcepta difficultas, patebit omnibus, qui quamdam in investiganda partium structura operam collocaverunt, præsertim cum incongruentem instrumentorum ad operationem propositorum structuram in præcedentibus pagellis jam vituperatam, imposterum adhuc rimabimur.

Quomodo lacrymis, si impeditæ sunt viæ, parari possit novum iter, nunc indicandum. Adscribitur vulgo hæc

Methodus Cl. Anton. Petiti.

Sic autem se habet *u*): "Juxta majorem oculi canthum, *inquit*, infra carunculam lacrymalem, cavum quoddam inter internam palpebræ inferioris superficiem & oculi globum deprehenditur. Hic, ad latus, in sulco ossis unguis delitescit sacci lacrymalis pars antica & superna, quam sola obtegit conjunctiva;" & hunc locum operationi dicatum voluit cel Auctor. Diducta nempe inferiori palpebra, adeo ut cavum late pateat, tumori lacrymalis sacci immergitur scalpellum rectum, plana instrumenti superficie ad oculum spectante, incisione celebrata, specillum duce scalpello immittitur, eoque usque ad obicem adacto, vi quadam ad nares paratur via. Ut servetur foramen apertum, & incisionis oræ callo obducantur, primis diebus cereolum minorem aut cannulam intus retineri jubet, in posterum enim coali-

u) Vid. Quæstionem medico-chirurgicam, quam in Scholis Medicorum Parisinis proposuit LE PREUX, ann. 1766. *An impeditis lacrymarum viis, parari debeat lacrymis artificiale iter, in cavum quod juxta majorem oculi canthum, inter superficiem internam palpebræ & oculi globum deprehenditur?*

tum vulneris, ob perpetuum lacrymarum deſcenſum, nequaquam pertimeſcendum arbitratur.

Hunc procedendi modum jamdiu ante PETITUM celeb. HENKELIUS, olim Profeſſor Berolinenſis, Præceptorque ſumme venerandus, in vero punctorum coalitu aut abſentia x) ſeſe auditoribus ſuaſiſſe, aſſerit y); quam litem non dirimam, cum neque deſcripſerit illum accurate, neque inciſionis locum ſedulo determinaverit.

Inſtituerat forte fortuna hanc operationem ill. BERTRANDI z) in quadam fiſtula ex metaſtaſi laborante, in qua ſimul caruncula lacrymalis tumefacta aut exeſa erat. Vulnus dilatare coactus cum eſſet, ut pus eo facilius evacuaretur, ſtatim in conſpectum prodibat os unguiforme, quo perforato, æger ſolis injectionibus reſtituebatur. Sed valde modeſte, ſibi inventionis laudem vindicare velle, allegavit ill. POUTEAU a), neque pauci ſunt, inter Gallos præcipue, qui hunc ut inventorem agnoſcunt. Hanc tamen methodum iniiſſe videtur, non inſtinctu proprio, ſed neceſſitate coactus. Fiſtula laborabat mulier, oris & vultus dignitate adeo capta, ut operationem omnem, propter cicatricis neceſſitudinem, reſpueret. Huic pollicitus eſt, eam ſine remanentibus ullis veſtigiis curatam iri, atque operationem ſequenti modo inſtituit: *Je plongeai*, inquit, *une lancette dans le ſac lacrymal, en paſſant entre la caruncule lacrymale & la paupiere inférieure intérieurement. Je donnai à la lancette une direction*

x) Tale exemplum obſervavit cel. ANELIUS, in quo ambo puncta lacrymalia defuerunt.

y) Conf. J. FR. HENKELS *Neue mediciniſche und chirurgiſche Bemerkungen, erſte Sammlung*, pag. 31. & *Abhandlung der chirurgiſchen Operationen, zweytes Stück*, §. 31. pag. 52. ubi contendit, ſeſe jamjam ann. 1754. ſuis auditoribus hanc operationem commendaſſe.

z) Vid. AMBR. BERTRANDI *Traité des opérations de Chirurgie*, pag. 327.

a) In *mox cit. libr.* pag. 328.

oblique vers le fond du sac, & la plongeai sans crainte assez profondément; le pus sortit par les côtés de la lancette. Je glissai alors une sonde à aiguille sur le plat de la lancette dans le canal nazal, & après avoir retiré la lancette, je débouchai facilement le canal, en poussant la sonde perpendiculairement, & je parvins ainsi dans le nez b). Requiritur in hac operatione, ut saccus repletus sit, & distentus; atque incisio justam habeat longitudinem, ne obtegatur iterum membrana conjunctiva vulnus, & ecchymosis producatur; tunc quoque, sine ullo incommodo, immitti possunt specilla, aut si coalitus sit tam validus, ut nequeat stylo obtuso superari, tum, suadente cel. Auctore, cannula argentea ad obstructionis locum protrudi, & acu triquetra pertundi potest.

Contra hancce operationem quivis jure merito objiciet, quod ipsis chirurgiæ præceptis plane contradicat, quamdiu enim mitiorem neque ita formidandam adhibere possumus methodum, quis hanc bona fide in usum trahat? quem enim fugit quanta cura vitanda sit inflammatio, quæ in hac methodo magis pertimescenda videtur, quam in ulla alia & in hypopium degenerare potest? Illam igitur haud immerito proscribimus ex illarum classe, quæ in fistula lacrymali sunt adhibendæ, & lubenter illis relinquimus, qui cum delicatulis effœminate sentiunt. An autem in synizesi canaliculorum, munere punctorum lacrymalium fungi queat, tunc illud crederemus, si vi vitali ad resorbendas lacrymas prædita essent vulneris labia. Nonne hoc in casu summitatem sacci externe incidere, & ductulos a tergo aperire possemus?

Theoriam ab omnibus hucusque propositis plane discrepantem, nuperrime in lucem edidit cl. RICHTERUS c), propriis ut asseverat, observationibus convictus. Veterum atque recentiorum opinionem de fistula lacrymali, hujus ni-

b) CLAUDE POUTEAU *Mélanges de Chirurgie*, pag. 100.

c) In *Commentation. Societatis regiæ Scientiarum Gœtting.* Ann. 1778. Vol. I. pag. 100.

mirum causam frequentissimam & unicam in obstructione ductus nasalis consistere falsam esse, sibi persuasissimam habet; idque ex remediorum effectu sinistro probare conatur. Rarissime præterea occurrunt causæ quibus vere vis inest occludendi ductum nasalem; quod dentur tamen interdum, non negat. Posuit ergo tres esse species fistulæ lacrymalis, ut supra jam retuli: quarum quælibet ab altera & ratione causæ ex qua oritur, & ratione medelæ quam maxime differt. Prior rariorque, ex obstructione ductus nasalis, altera frequentissima, ex metastasi materiæ morbosæ ad vias lacrymales, tertia denique ex atonia sacci lacrymalis oritur.

Elucent omnibus signa diagnostica, quæ in hac prima specie se manifestare solent: quia enim lacrymæ tantummodo retinentur, morbus ideo in primo stadio versari debet; saccus neque dolet neque rubet, sed est duntaxat distentus, nisi accedente alio vitio, aut ægroti negligentia, acres fiant illac, corrodant, atque inflammationem producunt, si comprimitur saccus, nihil eorum, quæ continet ad nares defluit, sed pellucidus liquor effluit e punctis. Hæc morbi species operationem semper requirit, quam peragendum nunc tibi exhibet

Methodus Richteriana.

Spreta inutili instrumentorum, quæ Galli commendant, ferragine, neglectisque injectionibus, saccum lacrymalem incisione aperit cel. Richterus, sollicite cavendo, ne posteriorem illius parietem cultelli cuspide lædat. Incisum saccum linteis carptis molliter implet, emplastroque obtegit. Reliquum operationis nunc vetat hæmorrhagia & inflammatio. Hac dissipata, plerumque quarto vel quinto die, specillum tenue, argenteum, flexile, illud nimirum, quod cel. Mejan invenit, in ductum nasalem per vulnusculum inflictum

inflictum immittit, & in cavum narium propellit: quo perveniſſe perſuaſum habeas, ſi una alterave guttula ſanguinis e naribus profluit. Hoc facto, tenuem chordam inducit, illamque per aliquot dies intactam ſinit: quarto vel quinto die illam extrahit, aliamque, & jam quidem quotidie aliam ejuſdem craſſitiei; ſecunda hebdomade paulo craſſiorem, tertia iterum craſſiorem; quarta tandem craſſiſſimam, talem ſcilicet quæ craſſitie æquat fere capacitatem ductus naſalis, omni mane applicat; antea autem injectionibus emollientibus eluit ſaccum. Quatuor utplurimum hebdomadibus præterlapſis, liquorem exſiccantem injicit, ſpecillumque plumbeum immittit, quod continuat per duos plerumque menſes; aut potius tamdiu, donec nil amplius puris appareat.

Secundam, quam agnoſcit, ſpeciem, & quæ juxta noſtram opinionem vera fiſtula lacrymalis eſt, raro operatione, ſed ſolis interne adhibitis medicamentis atque ulceribus artificialibus curare jubet. Acris enim & morboſus humor, interdum ex ſanguinis maſſa huc defertur, ſedem inibi figit, & vitium ſenſim infert. Neceſſe igitur eſt, ſaccum magis minuſve dolere, prout materies modo mitiorem modo acriorem indolem acquiſivit. Falluntur ergo illi, qui fiſtulam ſemper in primo ſtadio verſari debere contendunt, ut per gradus alia percurrat.

Denique nunc ex prægreſſa prima ſeu altera ſpecie, raro per ſe, ſurgit tertia, ſacci nempe atonia. Hunc vi ſeſe contrahendi pollere, atque lacrymas per ductus lacrymales reſorptas eodem modo in nares exprimere, quo urinam exprimit per urethram veſica urinaria; ac proinde eadem ratione ex atonia ſacci lacrymalis retentionem lacrymarum oriri, qua ex atonia veſicæ oritur iſchuria, credere fas eſſe ducit cel. Auctor. Ideo roborantia, nec non inſtrumentorum, quæ perpetuo ſaccum comprimunt, uſum ſuadet. Hinc etiam patet, quare canalem naſalem chordæ ope reſerare pariter,

K

& ita naturale iter lacrymis reſtituere aggrediatur, quo a naribus rurſus excipi poſſint.

His igitur methodis, quas longa annorum ſeries hominum ingenia excogitaverunt, rite propoſitis, addam & ea, quæ partim inſtituta vidi feliciter, partim a cel. LOBSTEINIO præceptore ſumme venerando audivi in prælectionibus academicis, partim quæ propriis obſervationibus factis, colligere licuit.

Itaque eo in caſu, ubi vera fiſtula eſt inſtrumentorum apparatu curanda, (nam quod injectionibus aliquando curari poſſit rite inſtitutis, & cum cautelis ſupra propoſitis, aliquando medicamentorum ope, alio loco executus ſum), inciſio ſacci lacrymalis lunata inſtituenda, nec ulla cicatrix fœda metuenda, nec tanti dolores ſurgunt, quanti in ſingulis filorum per puncta lacrymalia motibus ægros vexare ſolent. Rubedo quidem conſolidatione plagæ in ſaccum lacrymalem factæ manet per aliquod tempus, quæ ſenſim ſenſimque ſeſe deperdit, ut fere nullum reſtet cicatriculæ veſtigium, niſi propius intenta oculorum acie locum intuearis. Brevior longe via eſt, perquam inſtrumenta in nares pervenire poſſunt; & longe melius ſacci & canalis naſalis depuratio fieri poterit, quam ſi per puncta lacrymalia fila ducis. Felicem igitur curationis modum in eo pono, ut medicamenta quæ fiſtulam aut ulcus curant, ipſi loco applicentur exulcerato, quibus & latera calloſa liqueſcant; ſecundo, ut naturale iter lacrymis reſtituatur, ideo locus dilatandus, atque tandem interioris ſacci & canalis naſalis latera conſolidanda & roboranda, ut nil in iiſdem ulterius ſubſiſtere poſſit, quo novæ inflammationes & exulcerationes, ideoque priſtinus morbus recrudeſcat. Nec cuncta hæc brevi temporis ſpatio poſſunt abſolvi, nec ipſi ægroto finem morbi prædicere poſſumus. Singula enim ſtadia, quæ ulcus curandum percurrit, ſua ſigna habent, quæ felicem curationis eventum ſignificant.

Itaque incifione facta, demittitur in nares ftylus, ex puriffimo argento factus, qui in una extremitate globulo munitus eft, altera oram habet, qualis ille eft, quem celeb. MEJANUS defcripfit. Is in nares deprimitur; quandoque fatis facile cedit, ut ne quidem unica fanguinis gutta appareat, quandoque leviori quadam vi depellendus, quod ægris dolorem parit. Nunc quum fetaceo opus, quod in lacrymali via maneat & fuo ufui infervire poffit, neceffe eft, ut ftyli extremum in nares demiffum e nare antrorfum extrahatur, quodque per varia inftrumentorum genera, in fuperioribus indicata, factum fuiffe, fupra præcepi. Quum autem hamulus, quo fere omnes utuntur, ftyli vulgaris ope factus, in ufum tractus fuit, is non femper exoptatum effectum præftitit. Præftare enim effectum non femper potuit, quum apertura inferior canalis nafalis fub concha inferiori patens, retro eminentiam partim ab offe maxillari factam, partim etiam a membrana narium maxime adauctam, fefe offert, quæ extremo hamuli, quominus is fine læfione membranæ pituitariæ doloreque extrahi poffit, obicem ponit. Quod incommodum fæpe fæpius in cadaveribus expertus fum, & quod toties in vivis Præceptori celeberrimo obfervaffe contigit. Huic incommodo quidem occurrere aliquando poteris hoc modo, ut hamuli extremo lateri naris admoto, & leni motu antrorfum promoto, ftyli extremum occurrat, quod dum intra hamulum detentum effe motus ftyli fignificat, quem intra digitos extra plagam in angulo oculi interno factam fentis; tunc removere tentas ftyli extremum a latere naris, ut eminentiam prædictam evites. Hinc accidit quandoque, ut extractio voto fuccedat, quandoque autem dum extrahis, ab hamulo ftyli extremum abftrahitur, ut eductus hamulus nihil fecum ferat. Incurvatum tunc inferius ftyli extremum eft, ægre rurfus conquirendum, & aliquando neceffe eft, ut denuo ftylum per fuperiorem plagam extrahere debeas, eun-

demque iterum adaptare, ut in narem rurſus demittatur, denuoque aggrediaris opus.

Ut hiſce incommodis obviam venire valeamus, propoſuit mihi cel. Præceptor forcipem, cujus brachia dimoveri poſſent, inſtar illius, quam Levretus invenit; ut unum etiam poſt alterum in narem deferri, & ſtyli extremum repertum, applicitis ad ſe invicem brachiis firmatisque absque impedimento extrahi poſſet.

Diu ſatis animum intendi, ut quandam excogitarem, quæ votis reſponderet: varias fabrefieri curavi, quum vero easdem operi admovi, inferior concha, quæ ſatis demiſſa eſt, adplicationem alterius brachii, priori loco optime applicito, impedivit, quod ſemper forcipis ſtructuræ uſum vanum reddidit. His ita ſeſe habentibus, ſequentia venerunt in mentem, ut ita brachia ſtruerem, quæ ad ſe adplicita forcipem faciant, cujus extrema crenata ad ſe invicem adpreſſa ſtyli extremum prehendere poſſent. Inſpicias, quæſo icones, & res, ut puto, evadet clara.

Uſus ejus is eſt: In narem demittitur illa forcipis pars, quam marem appellare poſſis. vid. Fig. 2. lit. A. ducitur ejus extremum ſub concham inferiorem, quod caute ad latus naris externum admovetur; ita offendis ſtylum per aperturam ductus naſalis in narem demiſſum; quo reperto facile latus naris inter & ſtylum maris extremum ducere poteris. Sentis illud optime eſſe collocatum, dum annulum brachii hujus forcipis paululum moves; movetur & alterum ſtyli extremum, quod extra plagam eſt, & digitorum manus alterius ope prehenſum tenes. Quo facto, fœminam Fig. 2. lit. B. id eſt, alterum forcipis brachium mari admoves; ita minor fœminæ margo, lit. *d.*, ſulco, lit. *a.* notato, admovetur; & ſic ſupra marem fœminam promoves, donec maris eminentia, lit. *b.* notata, in ſinum fœminæ, lit. *c.* incidat; quo forceps rite conſtituta, digitis in forcipis annulos de-

miſſis, extrahi poſſit, quam prehenſum ſtyli extremum ſequatur.

Re ita ſeſe habente, duplici modo procedere poſſumus, ut ſetaceum per lacrymales vias ducatur. Primo ſtyli extremum e naribus eductum in unci formam plica, ope volſellæ, immitte in eum filum ſericeum, quod ex duobus filis contortis compoſitum ſit; apprime tunc fortiter ope volſellæ, quod uncum facit ſtylo, ut non multum eundem inæqualem reddat, ſtylum ab inferioribus ſurſum ducis, ſic ſequitur filum, omnemque canalis naſalis longitudinem pervadit, exitque per aperturam in ſaccum factam. Inde intelligis, cur uncus fortiter lateri ſtyli apprimendus ſit, ut in itinere naſali, quod permeare debet ſtylus, nullam moram reperire, nec latera canalis naſalis lædere poſſit.

Aut, quum ſtylus MEJANUS in altera ſua extremitate oram habet, in quam filum ſericeum poſſit immitti, id, dum ſtylus ex puriſſimo argento factus, etiam commode e naribus poteſt educi, ita ſequitur filum per plagam factam, quod nunc e naribus pendet. Setaceum hoc primis diebus relinquitur, cujus extremum e naribus pendens, emplaſtri agglutinativi ope, lateri naſi applicatur. Alterum ex plaga videndum conglomeratur, & per frontem ſupra caput ducitur, glomusque inter crines aciculæ ope firmatur. Super plagam vero emplaſtrum ponitur, quo aërem avertas.

Eo nunc dirigi debet fiſtulam curandi modus, ut ulceris calloſitates tollantur, & canalis naſalis dilatetur. Duplici huic indicationi ſatisfacis, dum ſetaceum adauges, illique illinis medicamenta prædicto fini accommodata. Id ipſum facile exequi poteris, dum contorta fila in quodam loco detorques, & fruſtum fili in aperturam factam immittis, & ita primo duas hujus fili propendentis partes adplices, ut nunc ſetaceum ex tribus filis ſit compoſitum. Huic ſetaceo admoves unguentum digeſtivum animatum, & ita ab inferioribus ſurſum moves, ut aperturæ ſacci in cantho oculi interno factæ

ſetacei extremum inhæreat. Dolorem paululum urentem experitur æger, qui non diu durat. Ita altero die educto rurſus per nares ſetaceo, ſuppurationis materie latera ſetacei conſpurcata eſſe offendis. Ut autem ſetaceum poſſit educi, glomus e crinibus ſolvendus eſt, ut quid de filo per lacrymale iter ſequatur. Ita apertura ſacci patet, cui ſyringæ extremum immittis, ut decoctum depurans lacrymale iter lavet. Quo facto priorem operationem denuo inſtituis, & novum ſetaceum formas ex tribus etiam modo filis compoſitum eidemque unguentum illinis, ut priſtinum locum rurſus occupet; ita gradatim ſetaceum adauges, ut ex quindecim filis ſit aliquando compoſitum, quo dilatetur inſigniter canalis naſalis, & depurentur ſacci latera. Neque quidquam erit pertimeſcendum de rodente materie cum digeſtivo mixta; adeo enim craſſa ſunt canalis latera, ut os illud affici nequeat; & multum de ſua vi perdit, cum irritatione facta, humorum copia huc quaſi attracta ejus vim diluit.

Quum ita per fila ſetaceum adaugeatur, reſiſtentiam experiris in loco, quo ſaccus in canalem naſalem tendit, ut ægri ſurſum ducto ſetaceo maximum dolorem perſentiſcant; & hic ille locus eſt, in quo fiſtula ortum quoad maximam partem trahit, ideoque ab opere non deſiſtendum, donec & is penitus dilatatus ſit & ſetaceum a ſuperioribus deorſum & ab inferioribus ſurſum commode trahi poſſit.

Re ita ſeſe habente, ultimæ indicationi ſatisfaciendum, ut latera depurata ad conſolidationem quoque ducantur: hinc ſetaceo illinis unguentum exſiccans, quod, modo allegato, ſingulis diebus, lateribus plagæ applicatur. Unguentum primis temporibus liquoribus præferri valet, quum ſetacei aſcenſus eo facilitetur, quam ſi liquoribus exſiccantibus ſetaceum imbuis, quod ultimis diebus fieri valet, ut unguento aquam vegeto-mineralem ſubſtituas. Latera ulceris penitus conſolidata eſſe indicat ſetaceum, quum nulla heterogenea

amplius materie conſpurcatum eſt, nec inſtituta injectio accommodata morbo, impuri quid ſecum fert, nec dolores, ſetacei aſcenſus movet. Ita tandem conſolidantur aperturæ latera; ſetaceo penitus educto; quod ſi quædam calloſitas vulneris lateribus ineſt, facile auferenda applicatione lapidis infernalis, ut latera cruententur, ita ſeſe attrahent, atque concreſcent.

Hic ſubſiſtere liceat: Omnes hucuſque cognitas, fiſtulam lacrymalem curandi, methodos deſcripſi; omnes correctiones, variationes omnes in medium adduxi; quas ſecum invicem ſi componimus, quænam ſit ex illis optima, quivis facile dijudicaverit. Qua enim ratione, aptius curare poterit chirurgus, artis præceptis innixus; qua, affecto loco medicamenta idonea applicare conſultius, qua, morbi ſtatum inveſtigare certius; qua, indicationes muneris abire liberalius, quam ſi methodum noſtram in uſum adhibeat? Hac, enimvero obſtacula, quæ aliarum uſuram prohibent, evitabit: hac, omnia ſuperabit incommoda, quibus reliquæ multum difficultatis habent ac laboris, præſertim ſi poſt inſtitutorum experimentorum teſtimonia, quandam in forcipe mea fiduciam repoſuerit. Quid autem hic, in vituperandis cæteris, tempus inutile tero; cum verbis non ſit, ſed experientia decertandum. Quæ ſi inter aliorum quoque manus, hanc proſperis ſucceſſibus comprobaverit, non immerito futurum ſpero, ut principatum acquirat, ultima, atque tutius, citius & jucundius de genere humano in poſterum bene mereatur.



FIGURARUM EXPLICATIO.

Fig. 1. *Siſtit forcipem cujus brachia ad ſe invicem ſunt admota; ejus longitudinem atque curvaturam.*

Fig. 2. *Forcipis brachia a ſe dimota, aliquantulum ad latus reclinata, ut eo melius poſſit junctura ſtructura conſpici.*

A. *Mas forcipis.*

B. *Fœmina.*


a. *Sulcus, in quem ingreditur minor margo fœminæ.*


b. *Maris eminentia, quæ in ſinum, ſi brachia ſupra ſe moventur, incidit.*

c. *Sinus, qui minori margini lit. d. inſculptus eſt.*

Fig. 3. *Interna forcipis facies juncturæ dimenſionem indicans.*

b. & c. *ut in Fig.* 2.





Weis ſc.